INTRODVCTIO IN METAPHYSICAM.

AVTHORE

RI. CRAKANTHORP
olim Collegij Reginæ
Oxon. Socio.

Metaphysica reliquarum scientiarum apex & culmen, iudex & præses.

OXONIÆ,
Excudebant IOHANNES LICHFIELD, & IACOBVS SHORT,
Ann. Dom. 1619.

e 3 c. 126.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

AD STVDIOSOS ACADEMIÆ OXONIENSIS ALVMNOS.

EN vobis, Florentiſſimi Academici, *Introductionẽ in Metaphyſicam*, non minùs ſolida eruditione, quã ſano judicio adornatam. Habetis jam tandem *Primæ Philoſophiæ*, ſublimioris dicam ſpeculationis, an latioris ambitus & vſus, totam in brevi quaſi tabella complexam imaginem, vniverſam pariter oſtenſam magnitudi-

nem? In vnico *Pyrrhi* regis annulo, cujus gemma *Achates* erat, novem *Musas* cum insignibus suis singulas ad vivum expressas fuisse, narrat *Solinus*. Certè mea me multum fallit cõjectura, ni multas & miras *Metaphysicæ* subtilitates & lautitias in exiguo hoc *Enchiridio* comprehensas esse statim dijudicetis, & vt gemmeum extollatis. Nihil hic tritum aut vulgare, sed pressa ac profunda reperietis omnia. Opus ni malè ominor, valdè literarum candidatis vtile, nec minùs varium, quàm ipsa scientia. Edidi non nisi multis precibus ab authore petitâ & obtentâ demum veniâ. Nullas gravissimus hic author, sicut crebra Scholasticorum & Criticorum turba nonnullas complet paginas, ociosis ac inanibus quæstiunculis. *Non enim, vt acutissimè Vives, mouere quæstionem, sed benè profligare, hoc demùm acuti est hominis & docti.* Subtiles autem & arduas, at fructuosas omnes,

de

de Deo, de *Angelis*, deq; *Anima Rationali* disputationes, *Philosophicè* simul & *Theologicè* singulari quâdam dexteritate & acumine, in transitu velut instituit ac terminat, vt non minùs eximium agnoscatis *Philosophum*, quàm summum miremini *Theologum*. Quanto non modò cum decôre, sed vti par est modestiâ, *Philosophiam* hîc videatis edoctam, *Theologiam* agnoscere dominam, sequi ducem, ejusque semper imperio famulari & ancillari, non principari aut dominari? Nec immeritò quidem. *Incomparabiliter enim, Augustino dicente, pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum.* Equidem vt quod maximè vellem paucis expediam, quòd de *Aristotele, Philosophorum Coryphæo* verè dixit doctissimus *Vives*, Idem ego de authore nostro quem æquè veneror & admiror, dicendum censeo: *Sparsa collegit, congesta digessit, confusa distinxit, obscuris attulit lumen, omnia*

ita reddidit concinna & apta, vt percipi facilè ac teneri queant magno cum fructu eorum, qui artium fructum aliquem sequuntur. Benè valete clarissimi Academici. Animo interìm benevolo gratoq; fruimini magni ingenij & industriæ in rebus Philosophicis *Primitÿs.* Dabam *Oxon. è Collegio Reginæ. Decemb. 7. 1619.*

Vobis Addictiss.

GVILIEL. RICHARDSON.

LECTORI BENEVOLO.

Postulârunt à me sæpè ac vehementer viri & benevolentiâ, & bonarum literarum studijs coniunctissimi, vt Annotationes illas in Logicam, & varias Philosophiæ partes, quæ meo nomine circumferuntur, relegerem, ederemq; in lucem. Ego illas luce indignas semper iudicavi: tamen tam honestæ eorum petitioni deesse omninò nolui. Relegi igitur benè magnam earum partem; sed vt sua scripta olim Augustinus, stilo censorio, & judiciariâ severitate. *Delevi multa, addidi non pauca, in quibusdam & stilum verti & sen-*

ſententiam. Nec mireris hoc à me factũ. Scripſi illa iuvenis, & raptim profectò ſcripſi, propè vt in buccam venerant. Quantulùm putas mihi otij erat, aut eſſe potuerat, vt iſta iuſtâ lance trutinarem, cum præter alia negotia, quibus diſtrahebar, ad legendum ſimul & tot paginas ſcribendum non plus bidui ſpatio, (ſic enim prælectionum earum ratio poſtulabat) concedebatur? Neq; diffiteor me in quàm multis ita ductum ac penè abreptum authoritate aliorum, vt à receptis ac tritis opinionibus diſcedere, imò vel eaſdem in dubium vocare, nefas videretur. Nunc vbi iuvenilis ardor omnis deferbuit, cumq;

Nullius addictus jurare in verba Magiſtri

ad cenſendum mea ſcripta potius quàm ad recognoſcendum acceſſi, non alia me in vllam partem vis flexit niſi rationis:

Quo me cùnq; rapit vis hęc, ego deferor illuc.

Primam verò operam in eis quæ ad Meta-

Metaphysicam spectant relegendis collocavi, quòd ea tum naturâ, tum dignitate disciplinarum omnium prima sit. In reliquis idem, si mihi otium contigerit, Deusq; annuerit, præstiturus. Te nunc rogo (Benevole Lector) idq; per candorem tuum; vt si quid in prioribus meis notis, hisce quæ nunc vel deinceps scribo, contrarium occurrat, illud ad hanc limam revoces, & à meipso per hæc posteriori curâ emendatum existimes. Hoc si quis vitio vertat, audiat ille non mea, sed Augustini *verba*; Nemo nisi imprudens, ideò quia errores meos reprehendo, reprehendere me audebit. *Caveat ille, ne sit ex eorum numero de quibus idem* Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 1. Videri volunt scire quod nesciunt, & præsumptiones opinionum suarum audaciùs affirmando, intercludunt sibi intelligentiæ vias, magis eligentes sententiam suam non corrigere perversam, quàm mutare defensam. *Sequamur omnes modestiam simul*

&

& prudens piumq; monitum eiusdem Antistitis, lib. eodem. cap. 3. *quo ego hîc vt meo libentissimè vtor*; Quisquis hæc legit, vbi pariter certus est, pergat mecum; vbi pariter hæsitat, quærat mecum; vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me; vbi meum, revocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est; Quærite faciem ejus semper.

R. C.

INDEX CAPITVM, & rerum quæ præcipuè in hoc opuſculo continentur.

PRÆFATIO.

Metaphyſica quid ſit. pag. 1.
Quod illius Subiectum. 2.
Non eſt vna Scientia niſi ſolum per aggregationem. 4.

Cap. I.

De Ente in communi.

Metaphyſica communis quid ſit. 5.
Entis in communi definitio. 6.
Ens eſt æquivocum, nec vllo reſpectu dici poteſt genus vnivocum. 7.
Quæ eius proprietates. 9.

Cap. II.

De Ente infinito, ſeu Deo.

Deus quid ſit. 13.
Vndecim Dei Attributa proponuntur, & plenè

plenè comprobantur. 15.16.&c.
Deus omnia potest, quæ si fiant, contradictionem non implicant. 18.19.20.

CAP. III.

De ente finito in Communi.
Ens finitum quid sit, proprietates eius. 26.
Mundus non est æternus à parte ante. 27.28.
Entia omnia sunt ex nihilo facta. 30.31.

CAP. IV.

De Accidente.
Accidentis definitio, & eius explicatio. 32.33.
Proprietates. Prima & præcipua. Accidentis esse est inesse. 34.
Vana sacrificulorum refellitur sententia, qui Accidentia sine vllo subiecto existere somniant. 35.36.

CAP. V.

De substantia finita in communi.
An substantiæ nomen Deo competat? 41.42
Substantia communis quid sit. vnica eius proprietas. 43.

CAP. VI.

De Substantia Incompleta.
Substantia Incompleta quid sit. 44
Anima rationalis non est Incompleta substantia, sed spiritus, & species completæ sub-

ſubſtantiæ. 45.46.
Proprietates Incompletæ ſubſtantiæ. 47.
Quid ſit verum ac proximum Individuationis principium. 48.49.

CAP. VII.

De ſubſtantia completa.
Subſtantiæ completæ definitio. 50.
Subſtantia quæ eſt ſummum genus, idem eſt re & eſſentia cum materia 1ª.52.53
Proprietates ſubſtantiæ completæ. 66.
Durationis tantùm duæ ſunt ſpecies: Æternitas & Tempus. 67.68.

CAP. VIII.

De Spiritu.
Spiritus in communi quid ſit. 71.
Proprietates ſpiritus. 72.
De libera voluntate ſpiritus. 73.74.
De ſpirituali loquendi modo. 75.76.
Spiritus moventur & quieſcunt tantùm in loco definitivo, & in tempore continuo. 77.78.

CAP. IX.

De Angelis.
Angelus quid ſit. 78.
Angeli non ſunt corporei 79.80.
Angelus eſt infima ſpecies. 81.
Angelorum adiuncta. Scientia & potentia. 82.

Ange-

Angeli nec miraculum vllum efficere poſſunt, nec res de novo formare, aut in alias ſpecies transformare. 83.84.
Angeli homines procreare nequeunt. 84.
An ſpiritus immundi, qui vulgò Incubi & Succubi nominantur, hocipſum præſtent? 85.86.
Angelorum magna eſt potentia, ſed finita ſemper & limitata. 89.

CAP. X.

De anima rationali.

Anima Rationalis quid ſit. Affectiones Animæ. 90.
De modo productionis animæ. Quòd infunditur creando, & creatur infundendo. non à Parentibus traducitur, ſed immediatè à Deo creatur. 91.
Anima eſt immortalis, & à corpore ſeparata non ſolùm vivit, ſed intelligit. 92.
Non regreditur vnquam ad vllum aliud corpus informandum & animandũ. 93
Pythagorica μετεμψύχωσις non eſt poſſibilis. 94.
De ſtatu animæ ſeparatæ poſt hanc vitam. 94.95.

PRÆ-

PRÆFATIO IN QVA quid Metaphysica sit, & quod illius subjectum declaratur.

DE Metaphysicâ (οὗ θεωρ) acturus sum; de qua ante omnia quid sit, & quod sit in ea subjectum videndum est,

Metaphysica est scientia, humana, principalis, speculativa, in qua traditur eorum omnium cognitio quæ ante aut supra physicam sunt aut cognoscuntur.

Scientia vocatur sed largo modo accepta, quæ talem illius subjecti quod in ea tractatur, cognitionem tradit, qualis de eo haberi potest aut debet. Nam Metaphysica prout omnes suas partes complectitur, scientia propriè dicta (qualis ab *Arist.* 1. *Demon. Cap.* 2. definitur) nec est, nec esse potest, vti posteà clarissimè liquebit; Atq; in hoc (quod generis loco ponitur) Metaphysica cum omni omninò disciplina seu habitu intellectivo quo conclusiones cognoscuntur, convenit.

Humana scientia vocatur, vt distinguatur ab ea

Theologia & doctrina quæ divinitus nobis in ſacroſanctis literis revelata eſt. Quid Athenis cum Hieroſolymis? quid Liceo cum porticu Salomonis? Philoſophum ſe vocari vult Metaphyſicus, non Theologum. Nec alia in hac aut vlla Philoſophiæ parte traduntur aut tractantur, quàm quæ humano ingenio aut induſtria ſine ſpeciali Dei revelatione (qualis illa Prophetarum fuit & Apoſtolorum) acquiri & inveniri poſſunt. Ad has metas ſiſtit Philoſophus, neq; audet aut poteſt plus vltrà.

Principalem ſcientiam dixi, quia cognitio iſta Metaphyſicæ propter ſe expetitur, non vt inſtrumentum tantum ad alias artes. Et in hoc differt ab omni ſcientiâ inſtrumentali quales ſunt Grammatica, & Logica.

Speculatiua ſcientia vocetur, quia hic ea tractantur, quorum eſt ſpeculatio tantum nõ actio, quęq; cognoſcenda ſunt, non agenda, in quo ab Ethica ſcientia diſtinguitur.

Pro ſubiecto Metaphyſicæ poſui ea omnia quorum cognitio prior eſt & ſuperior ijs quæ in Phyſica ſeu naturali Philoſophia tractantur. Non enim Metaphyſica vocatur quaſi poſtphyſica, à μετὰ ſignificante poſt, quia poſt Phyſicam vel inventa ſit vel diſcenda; (vti nonnullis viſum eſt) eſt enim hæc omnium diſciplinarum prima, ſine cujus notitia nihil in vlla ſcientia ſolidè ſcitur vel ſciri poteſt; Sed derivatur à μετὰ ſignificante trans vel vltra aut ſuper (vt in μετάφορα tranſlatio, μεταβαίνω tranſeo, tranſgredior, μετέωρα ſuprà aut ſurſum elevatum) & Metaphyſica vocatur, quaſi tranſphyſica vel ſupernaturalis diſciplina, quoniam ea quæ hic tractantur, tranſcendunt omnia quæ in Phyſica ſeu

ſeu naturali Philoſophia traduntur, eiſq; omnibus ſuperiora ſunt vel prædicatione, vel dignitate. Si verò quænam illa ſunt ſcire aveas, paucis expediam. Primum quod in Metaphyſica tractatur eſt *Ens in communi*. Secundum eſt *Ens infinitum ſeu Deus*. Tertium *eſt Ens finitum in communi*. Quartum *eſt accidens*. Quintum *eſt ſubſtantia finita in communi*. Sextum *eſt ſubſtantia incompleta*. Septimum *eſt ſubſtantia completa in communi*. Octavum *eſt ſpiritus in communi*. Nonum *eſt angelus*. Decimum & *vltimum eſt anima rationalis*. Hæc omnia hæcq; ſola ad Metaphyſicam ejuſq; conſiderationem ſpectant. Neq; audiendus eſt Timpl. qui *Lib. 1. Metaph. ca. 1. q. 6.* corpus ad propriam Metaphyſicæ tractationem refert, ipſeq; in ſuo libro de Metaphyſica, fuſè de eo agit. *Lib. 5. C. 6.* Imò quod mireris excidiſſe homini docto. *Lib. 1. Cap. 2. q. 1* corpus expreſsè numerat inter ea quæ neq; in Phyſica, neq; in alia vlla ſcientia præter ſolam Metaphyſicam conſiderari debent, aut poſſint. Nec ſolum corpus huc refert ſed omne omninò intelligibile quodcunq; illud ſit vt ipſe aſſerit. *Lib. 1. Cap. 1. q. 5. & 6.* Scilicet hoc eſt ſcientias alias omnes delere; quid enim ipſis reliquum erit, ſi omne intelligibile ad Metaphyſicam pertineat. Sed profectò perſpicuum eſt rem ſerius perpendenti decem illa ſolum quæ dixi ad Metaphyſicam ſpectare. Atq; vt ſingula iſtorum decem diverſa ſubjecta ſunt, ita decem diverſas & diſtinctas Metaphiſicæ partes ſeu ſcientias conſtituunt.

Dub. At vnius ſcientiæ vnum debet eſſe ſubjectum: Eſt autem Metaphyſica vna ſcientia, vt conſentiunt ferè omnes, & *Timpl.* vnam ſpecie eſſe confirmat. *Lib. 1. Cap. 2. q. 1.* quare non ſunt illius tot diverſa ſubjecta ſtatuenda, ſed vnum tantum.

Theologia & doctrina quæ divinitus nobis in ſacroſanctis literis revelata eſt. Quid Athenis cum Hieroſolymis? quid Liceo cum porticu Salomonis? Philoſophum ſe vocari vult Metaphyſicus, non Theologum. Nec alia in hac aut vlla Philoſophiæ parte traduntur aut tractantur, quàm quæ humano ingenio aut induſtria ſine ſpeciali Dei revelatione (qualis illa Prophetarum fuit & Apoſtolorum) acquiri & inveniri poſſunt. Ad has metas ſiſtit Philoſophus, neq; audet aut poteſt plus vltrà.

Principalem ſcientiam dixi, quia cognitio iſta Metaphyſicæ propter ſe expetitur, non vt inſtrumentum tantum ad alias artes. Et in hoc differt ab omni ſcientiâ inſtrumentali quales ſunt Grammatica, & Logica.

Speculatiua ſcientia vocatur, quia hic ea tractantur, quorum eſt ſpeculatio tantum nõ actio, quęq; cognoſcenda ſunt, non agenda, in quo ab Ethica ſcientia diſtinguitur.

Pro ſubiecto Metaphyſicæ poſui ea omnia quorum cognitio prior eſt & ſuperior ijs quæ in Phyſica ſeu naturali Philoſophia tractantur. Non enim Metaphyſica vocatur quaſi poſtphyſica, à μετὰ ſignificante poſt, quia poſt Phyſicam vel inventa ſit vel diſcenda; (vti nonnullis viſum eſt) eſt enim hæc omnium diſciplinarum prima, ſine cujus notitia nihil in vlla ſcientia ſolidè ſcitur vel ſciri poteſt; Sed derivatur à μετὰ ſignificante trans vel vltra aut ſuper (vt in μετάφορα tranſlatio, μεταβαίνω tranſeo, tranſgredior, μέτωρος ſuprà aut ſurſum elevatum) & Metaphyſica vocatur, quaſi tranſphyſica vel ſupernaturalis diſciplina, quoniam ea quæ hic tractantur, tranſcendunt omnia quæ in Phyſica

ſeu

ſeu naturali Philoſophia traduntur, eiſq; omnibus ſuperiora ſunt vel prædicatione, vel dignitate. Si verò quænam illa ſunt ſcire aveas, paucis expediam. Primum quod in Metaphyſica tractatur eſt *Ens in communi*. Secundum eſt *Ens infinitum ſeu Deus*. Tertium *eſt Ens finitum in communi*. Quartum *eſt accidens*. Quintum *eſt ſubſtantia finita in communi*. Sextum *eſt ſubſtantia incompleta*. Septimum *eſt ſubſtantia completa in communi*. Octavum *eſt ſpiritus in communi*. Nonum *eſt angelus*. Decimum & *vltimum eſt anima rationalis*. Hæc omnia hæcq; ſola ad Metaphyſicam ejuſq; conſiderationem ſpectant. Neq; audiendus eſt Timpl. qui *Lib. 1. Metap. ca. 1. q. 6.* corpus ad propriam Metaphyſicæ tractationem refert, ipſeq; in ſuo libro de Metaphyſica, fuſè de eo agit. *Lib. 5. C. 6.* Imò quod mireris excidiſſe homini docto. *Lib. 1. Cap. 2. q. 1* corpus expreſsè numerat inter ea quæ neq; in Phyſica, neq; in alia vlla ſcientia præter ſolam Metaphyſicam conſiderari debent, aut poſſint. Nec ſolum corpus huc refert ſed omne omninò intelligibile quodcunq; illud ſit vt ipſe aſſerit. *Lib. 1. Cap. 1. q. 5. & 6.* Scilicet hoc eſt ſcientias alias omnes delere; quid enim ipſis reliquum erit, ſi omne intelligibile ad Metaphyſicam pertineat. Sed profectò perſpicuum eſt rem ſerius perpendenti decem illa ſolum quæ dixi ad Metaphyſicam ſpectare. Atq; vt ſingula iſtorum decem diverſa ſubjecta ſunt, ita decem diverſas & diſtinctas Metaphiſicæ partes ſeu ſcientias conſtituunt.

At vnius ſcientiæ vnum debet eſſe ſubjectum: *Dub.* Eſt autem Metaphyſica vna ſcientia, vt conſentiunt ferè omnes, & *Timpl.* vnam ſpecie eſſe confirmat. *Lib. 1. Cap. 2. q. 1.* quare non ſunt illius tot diverſa ſubjecta ſtatuenda, ſed vnum tantum.

Sol. Nullibi vèl turpius vel periculosius erratur à vulgo Philosophantium quàm in hac re. Censent nimirum Metaphysicam (prout in se omnia, quæ in ea tractantur, complectitur) esse vnam scientiam: & tum quodnam sit illius vnius scientiæ vnũ & adæquatum subjectum inquirunt, & disputant non sine magnâ lite. Alijs est Ens qua Ens, alijs Ens vt comprehendit Ens reale & rationis, alijs vt *Timplero*, est omne intelligibile; alijs est Deus, alijs substantia, alijs aliud & quot ferè capita, tot sententiæ; Frustra omninò: Audeo dicere eos omnes extra oleas currere, atq; errare tota via. Non est (ut illi opinantur) Metaphysica (si omnes ejus partes spectes) vna scientia nisi solum vna per aggregationem, vti nec Physica. Sed ut in Physica, vna scientiæ illius pars tractat corpus in cõmuni, alia cœlum, alia corpus corruptibile, alia elementum, alia mixtum corpus, alia meteoron, alia vivens, alia animal, alia hominem, atq; ita quot sunt distinctæ partes naturalis Philosophiæ, tot sunt illius distinctæ scientiæ partiales, & distincta subjecta; ita planè in Metaphysica, vna illius pars agit de ente in communi, alia de ente infinito, alia de ente finito in communi, Et sic in reliquis; & quot sunt illius distinctæ partes, tot sunt illius distinctæ scientiæ partiales, & tot distincta subjecta. Tota autem tractatio quæ partes istas omnes, & omnia illa subjecta complectitur non aliter vna scientia est vel esse potest, quàm vna per aggregationem. Atq; ut in Physica partem illam quæ corpus in communi considerat, rectè dicas Physicam communem seu Physiologiam, illam quæ cœlum ouranologiam, illam quæ meteora, meteorologiam, illam quæ animal, Zoologiam, illam quæ hominem anthro-

anthropologiam: ita planè illam Metaphysicę partem quæ *Ens* in communi considerat vocare licet Metaphysicam communem: illam quæ Deum Theologiam, illam quæ substantiam, ousiologiam, illam quæ spiritum, pneumatologiam, illam quæ animam rationalem psychologiam, & ita in reliquis.

His jam de constitutione totius hujus scientiæ prælibatis, rem ipsam aggrediamur, incipientes ab illa, quam dixi, Metaphysicam communem, nam primo de Ente in communi dicendum est, tum de Ente in specie.

CAP. I.

De ente in communi.

Metaphysica communis est scientia vel disciplina quæ considerat ens in communi, vel ens, qua est ens. Hæc enim disciplina tradit tum quid sit ens, tum quæ sint entis proprietates, id est, quæ enti quatenus ens est conveniunt. Docet hoc apertè *Arist. 4. Metap. cap. 1.* vbi ait; Est quædam scientia (vult autem hanc quam modo definivi) quæ speculatur ens prout ens est, & quæ ei per se insunt.

Subjectum hujus partis Metaphysicæ est ens in

communi, ideòq; respectu hujus partis, Metaphysica est omnium scientiarum communissima, omnium prima, omnium certissima. *Communissima*, quia illius subjectum est omnium communissimum. Nihil enim est de quo ens non dicitur, & hoc notat *Arist. 6. Metap. cap.* 1. vbi Metaphysicam (respectu hujus partis) vocat Philosophiam vniversalem, quia non circa vnum aliquod genus entis, vt aliæ omnes scientiæ versatur, sed circa ens in communi; ideòq; sicut subjectum hujus scientiæ subjectis omnium aliarum scientiarum commune est, ita de hac ipsa scientia ait *Arist.* illa vniversaliter communis est. *Prima etiam est.* quia in perfecta cujusvis rei cognitione ab vniversalissimis incipiendum est, vt rectè docet *Arist. lib.* 1. *Phys. cap.* 1. cum ergò ente in communi nihil sit vniversalius, certè scientia quæ ipsum tractat, erit omnium prima, primòq; discenda, atq; hoc ait *Arist. 6. Metap. c.* 1. vbi Metaphysicã vocat primam Philsophiam. *Certissima denique est*, quia certitudo omnis posteriorum dependet à certa cognitione priorum quod disertè docet *Arist.* 1 *Metap. cap.* 2. Maximè scibilia (inquit) sunt ipsa prima, propter hæc enim, & ex eis cætera cognoscuntur. De hoc verò subjecto (quod item in alijs omnibus scientiarum subjectis observandum est) duo declaranda sunt, quid sit, & quæ illius proprietates.

Ens est notio seu conceptus æquivocus omnium communissimus, quo significatur quicquid est existituè, id est, quicquid vel est essentia, vel habet essentiam. Dicitur autem ab antiquo & obsoleto verbo, eo, es, à quo sum, quædam tempora, hocq; ipsum participium *Ens* mutuatur.

Quod ens æquivocum sit, testatur Porphyrius, qui

qui ca. de ſpecie docet ens non niſi æquivocè prędicari. Docet idem *Ariſt.* qui *lib.* 1. *Periher. cap.* 3. ipſum ens (vt communiter ſumitur) nihil eſſe, id eſt, nullam rem aut naturam notare, ſed ſolum vocem æquivocam eſſe affirmat. Docet hoc ipſa rationis evidentia. Ens enim dicitur tam de Deo, quam de creaturis, vtraq; enim in hoc conveniunt, quod ſint ens, & neutrum eorum non ens dici poteſt. At nihil omninò de Deo & creaturis vnivocè & eſſentialiter prædicari poteſt, vt rectè probat *Aquin. lib.* 1. *con. Gen. cap.* 32. & ratio hujus eſt manifeſta. Nam omne vnivocum & eſſentiale prædicatum eſt priùs naturâ eo de quo vnivocè dicitur. At Deo nihil eſt naturâ priùs, nec verò fingi poteſt, cum is ſit primum ens, & fons vndè alia omnia entia ſuam entitatem habent.

Dices, licet ens non ſit vnivocum prędicatum reſpectu Dei & creaturarum, tamen eſt vnivocum genus reſpectu ſubſtantiæ creatæ & accidentis, vti expreſſè docet *Timpl. lib.* 4. *Metap. ca.* 1. *q.* 3. *Dub.*

Imò nullius reſpectu ens, genus vnivocum dici poteſt. Nam nullum genus de ſuis differentijs dici poteſt, vt diſertè docet *Ariſt. lib.* 6. *Top. cap.* 6. *nu.* 12. *& lib.* 30. *Metap. ca.* 3°. & ratio idem declarat. Nam ſi genus de ſuis differentijs diceretur, illæ eſſent ſpecies ipſius, non differentiæ, quam ipſam rationem *Ariſt.* loco proximè citato tradit. At ens de omnibus omninò differentijs per quas dividi poteſt, veriſſimè prædicatur. Nam illæ vel ſunt entia, vel non entia, non entia eſſe non poſſunt; nihil enim tum eſſent, ideòq; nihil vel dividere poſſent, vel conſtituere. præterea ſi differentiæ diviſivæ entis, & inferiorum conſtitutivæ eſſent non entia, tum non ens *Sol.*

esset de essentia entis, atq; ita ipsum ens essentialiter esset non ens. Iam si entis nullæ sint differentiæ divisuæ, certè nec species ejus vllę esse possunt; nam omnes species constituuntur per illas differentias quæ ipsarum genus dividunt. Cum igitur certum sit entis non esse vel differentias, vel species, certum etiam est, ens neq; genus vllius rei esse, neq; de vllo ente vnivocè prædicari posse. Quarè nihil aliud erit ens quàm æquivocus conceptus vt antè diximus, qui analogicè ideòq; æquivocè prædicatur de substantia & accidente, quod notat *Arist. lib. 7. Metap. ca. 1.* vbi ait substantias propriè dici entia, accidentia verè ideò dici entia, quia entis propriè dicti sunt affectiones. Et vt *Aquin.* ait *part. 1. q. 90. art. 2.* accidens magis dicitur entis, quàm ens.

Dixi esse conceptum omnium communissimum. Quid enim vel dari vel concipi potest de quo ens non dicitur? Quod adeò verum est, vt ipsi etiam conceptus non entium (putà chymeræ, vacui, privationis, imò ipsius nihili) entia sint, cum sint accidentia menti inhærentia. Concipiuntur enim ista, & intelliguntur non per se, aut per suas species, quas menti imprimunt, (cum ejus quod nihil est nulla species esse possit) sed per accidens nempè per species aut notiones aliorum, putà entium, quæ de ipsis simpliciter negantur. isti autem ipsi conceptus (vt alij omnes) accidentia sunt, quæ menti vt suo subjecto inhærent. Nullus itaq; est conceptus ente communior. Neq; hic vllo modo assentiendum est Timplero, qui *lib. 1. metap. ca. 3 q. 1 & 6.* collocat. alia genera supra ens, quæ scilicet sunt ente latiora & communiora. nempè intelligibile, aliquid, & aliquid positivum. & *cap. 2. pag.* 34.

34. id explicans, dividit intelligibile in nihil & aliquid, & aliquid ſubdividit in aliquid poſitivum, & aliquid negativum: rurſus aliquid poſitivum ſubdividit in eſſentiam & ens. Quis obſecro hæc probet? Rectiùs multò *Keckerm.* qui in compendio ſuo Metaphyſicæ *cap.* 1. ait, ens eſt ſummum genus, (tu adde æquivocum) ſupra quod nec cogitatio, nec verba hominis aſcendere poſſunt.

Tertiò dixi *ens comprehendere quicquid vel eſt eſſentia, vel habet eſſentiam.* Quod niſi concedas, certè nec Deus erit ens, cum ſit ſimpliciſſima eſſentia, nec verò vllum ſummum genus. non enim iſta habent eſſentiam, ſed ſunt eſſentiæ. Quare neq; illud placet quod idem *Timpl. lib.* 1. *ca.* 2. *q.* 3. tam confidenter aſſerit, eſſentiam eſſe aliquid, non tamen eſſe ens. & iterum, Non ens (inquit) ſuo ambitu complectitur tam aliquid quàm nihil: eſſentia enim & privatio eſt non ens, neq; tamen nihil, ſed aliquid. Mihi certè hæc non ſapiunt, credo nec alijs. Eſſentia, inquis, entis eſt non ens. Erit igitur ens omne quoad eſſentiam, & eſſentialiter non ens. Quàm verè huc quadrat illud, Næ ille intelligendo facit, vt nihil intelligas: imò eſſendo facit vt non ſis, adeòq; nihil ſis.

Proprietates entis ſunt quinque.

1ª eſt exiſtentia. *omne ens exiſtit, & quicquid exiſtit eſt ens.* Exiſtere autem dicitur quicquid eſt in rerum natura, nec eſt fictio mera aut figmentum mentis.

2ª eſt duratio. *omne ens durationem aliquam habet & quicquid durationem habet eſt ens.* Eſt autem duratio permanſio rei in ſua exiſtentia.

3ª eſt vnitas. *omne ens eſt vnum, & quicquid eſt vnum eſt ens.* Nam Ens & Vnum idem re ſunt, & ſe

consequuntur *Arist. 4. Metap. ca 7.* Vnum autem dicitur quod est indivisum à se, & divisum ab omni alio. Hinc *Aquin. part 1. q. 6. art. 3. ad primum* rectè ait. quod esse Vnum, id est indivisum, competit vnicuiq; rei secundùm suam essentiam. & in 4um *sent. dist. 44. q. 2. art. 2.* ad 4um. divisio ab alijs est de consequentibus ad rationem vnius. Atq; in hac proprietate Entis fundantur illa duo prima & omnium communissima principia seu axiomata. *Primum.* de nullo posse verè dici esse & non esse, aut esse hoc, & non esse hoc. Nam si possibile esset quicquam simul esse hoc, & non esse hoc, illud non esset Vnum. Quod enim Vnũ est, est hoc, nec quicquam aliud, nam est divisum ab omni alio. *Secundum.* De omni re verum est dicere vel esse, vel non esse, id est, vel esse hoc, vel non esse hoc. Nam si sit indivisum ab hoc, tum est vnum idemq; cum hoc: Si verò diuisum sit ab hoc, tum est aliud ab hoc, ideòq; non est hoc. Horum autem axiomatum cognitio nobis infantibus, aut saltem pueris, sed nescientibus, certè & non animadvertentibus ex inductione percipitur & discitur: Quibus innixi aliarum rerum cognitionem sensim & paulatim ex his deducimus. Quare hæc duo, prima & certissima principia merito vocat *Arist. lib. 4. Metap. cap. 3. & 4.*

4ª est veritas. *Omne Ens est verum, & quicquid est verum est Ens.* Est autem veritas, vt hic sumitur id quo aliquid verè intelligi, suamq; speciem intelligibilem per quam concipiatur, menti imprimere potest.

5ª est bonitas. *Omne Ens est bonum. & quicquid est bonum, est Ens.* Est autem bonitas, vt hic sumitur, perfectio naturalis cujusq; rei, juxta suum essendi

di modum, per quam fit appetibile. Vndè *Aquin. 3. 1 q. 5. art. 1. ad primum.* Bonum dicit rationem perfecti quod eſt appetibile. & *art. 5.* ratio boni ſecundum quod conſiſtit in perfectione, conſiſtit in modo, ſpecie, & ordine. Et quia omne Ens in quantum eſt Ens habet ſuum proprium modum, ſpeciem & ordinem, ideò etiam in quantum eſt Ens, eſt bonum, vt expreſſè idem *Aquin.* ait. q. eadem. *art. 2.*

Scio Metaphyſicos ſcriptores, & inter hos *Timplerum*, plures multò Entis proprietates tradere & tractare. Dividunt nimirum Entis affectiones in ſimplices & conjunctas. Simplices duas faciunt, exiſtentiam & durationem. Conjunctas vocant, quæ per disjunctionem exprimuntur. Harum alias volunt eſſe abſolutas, alias reſpectivas. Abſolutas & conjunctas diſtribuunt in novem claſſes, in hunc modum. Ens eſt 1° perfectum vel imperfectum. 2° Simplex vel compoſitum. 3° Vnum vel multiplex. 4° Finitum vel infinitum. 5° locabile vel illocabile. 6° neceſſarium vel contingens. 7° poſſibile vel impoſſibile. 8° verum vel falſum. 9° bonum vel malum. Conjunctarum & reſpectivarum affectionum ſeptem etiam claſſes ſic numerant. Ens eſt 1° principium vel principiatum. 2° cauſa vel cauſatum. 3° ſubjectum vel adjunctum 4° ſignum vel ſignatum. 5° totum vel pars. 6° idem vel diverſum. 7° priùs vel poſteriùs, vel ſimul. In tractatione harum conjunctarum Entis affectionum, exſpatiantur & dilatant fimbrias ſuarum diſputationum. Et ſanè quid inveniri poteſt in vllâ omninò diſciplina atq; ſcientia, quod non ad Metaphyſicam referri poteſt & debet, ſi iſta pro affectionibus proprijs Entis qua Ens eſt admittantur.

tantur. Nihil profectò est quod non sub aliquo membro harum triginta trium affectionum contineatur. Vt jam omnes aliæ scientiæ penitùs abolendæ, sola Metaphysica colenda sit & discenda. Deindè si finitum vel infinitum, possibile vel impossibile, & similia sint affectiones Entis qua Ens, certè pari jure, rationale vel irrationale, risibile vel non risibile, album vel non album erunt proprietates Entis qua Ens. Nos ista omnia proprijs relinquentes subjectis, non alias Entis affectiones vel proprietates agnoscimus, quam quę Enti quatenus est Ens, id est, quæ omni soliq; Enti, eiq; non quatenus ad hoc vel illud Ens restringitur, sed quatenus est simpliciter Ens, conveniunt. Tales sunt illæ quinque à nobis commemoratæ. Siquis ejus generis plures invenire poterit, eas per me vt addat, licet.

Hæc de Ente in communi, quod est subjectum primæ partis Metaphysicæ dicta sufficiant. Vnum restat quod verbo Lectorem monitum velim. Hanc partem Metaphysicæ non scientiam propriè dictam, sed potiùs disciplinam esse, & vocandam esse. Nam ad scientiam propriè dictam, tria hæc requiruntur. 1° Subjectum non solum reale, sed etiam vnivocum, de quo affectiones demonstrentur: 2° essentia, vel principia realia illius subjecti, per quæ affectiones demonstrentur vt per causas proximas cur illi subjecto insint. 3° Affectiones reales fluentes ab illa essentia aut principijs, quæq; per illa principia de subjecto illo demonstrentur. Hæc tum ex *Arist.* libris de Demon. tum ex *Zab.* in suis Logicis tractatibus, abundè constant. Iam certum est nullum horum trium in hac Metaphysicæ parte inveniri. Nam nec subjectum

hujus

hujus disciplinę (quod est Ens in communi) est vnivocum, imò nec realem vllam naturam notat, vt antè ostendimus. nec essentiam aut principia vlla priora habet, cum ipsum sit omnium quę concipi possunt primum & communissimum : nec vllas reales & propriè dictas affectiones habet cum essentiam vel principia nulla habere certum sit: Quare Metaphysica respectu hujus partis non modo scientia propriè dicta non est, sed vt non sit, necesse omninò fuit, cũ illud hic subjectũ sit, quod est omnium quæ cõcipiuntur primũ, ideòq; quod æquivocum est, de quo scientia propriè dicta esse non potest. Atq; hęc de Metaphysica in communi, quę Ens in communi cõsiderat, dicta sunto. Reliquę omnes quę sequuntur Metaphysicę partes, nomen Metaphysicę particularis sortiri debent, cum in eis tractentur partes quędam aut species Entis, non vt in hac, Ens in communi.

CAP. II.

De Ente infinito, seu Deo.

SEquitur nunc Ens in specie, est autem Ens vel infinitum, vel finitum : ac primò de Ente infinito, quod est *Deus Opt. Max.* dicendum est.

Deus est Ens omnium simpliciter primum. Ens est, & quidem *Ens Entium, id est omnium optimum, vt docet Aristot. Lib.* 12. *Metap. Cap.* 7. Nec sanè vlla causa fuit cur *Keckerm. Lib.* 1. suæ Metaphysicæ. *Cap.* 3. *&* 8. tam rigidus esset, vt Deum Entis nomine privaret, diceretq;, omnis creatura est Ens, & omne Ens est creatura. atq; iterum, Deus cum non sit in ordine Entium, vtiq; nec in ordine causarum illarum quæ sunt Entia. Trepidauit profectò vbi non erat

timor,

timor. Deus ipse seipsum vocat יהוה, id est, Qui sum, *Exod.* 3, 14 & ὁ ὤν, id est, qui est, *Apoc.* 1. 4. *Iust. Mart. Orat. ad Gent.* docet idem esse τὸ ὄν Ens seu quod est, quomodo Deum vocat Plato, & ὁ ὤν, ille Ens, vel ille qui est, quomodo seipsum Deus vocat. *August. Lib* 7. *conf. Cap.* 4. de Deo ait. Tu solus es, quia solus simpliciter es. & *lib.* 1. de doctrina *Christ. ca.* 7°. Deus inquit primitus & summe est. Quin & *Aquin. part.* 1 *q.* 13. *art.* 11 Varijs rationibus probat hoc nomen. Qui est, esse maximè proprium Deo.

Est etiam omnium Entium simpliciter primum, vt *Arist.* etiam docet *lib. illo* 12. *ca.* 8. vbi Deum vocat substantiam primam. Declarat idem evidens ratio. Videmus enim alia ab alijs effici, illa rursus ab alijs, & hæc ab alijs, ergò aut in causis efficientibus progrediendum est in infinitum, aut ad aliquod primum perveniemus. In infinitum progredi impossibile est, quia tum nihil omninò vnquam effici posset, cum infinita actu pertransiri non possent, priusquam verò quidquam effici posset oporteret illas infinitas causas actu pertransiri. Deindè id quod fit ex precedentibus causis est ordine postremum: at in infinitis nullum est primum, quare nec vllum secundum, aut tertium, ideòq: nec postremum. Ad primam ergo aliquam efficientem causam pervenire necesse est. Illud autem primum Ens, & prima causa, quæ est causa causarum, & Ens Entium, illud inquam est quod Deum dicimus.

Proprietates seu attributa Dei ex hoc vno ferè omnia emanant, quod ipse sit Ens primum, sunt autem vndecim.

1um. *Deus à seipso solo est, vel habet suum esse.* Patet

tet ex illa deſcriptione antepoſita. Nam cum Deus ſit omnium Entium primum, certè à priori nullo ſuum eſſe habere poteſt, cum prius ipſo nihil ſit. A poſteriori verò quidquam capere ſuum eſſe, eſt omninò impoſſibile, quia quod dat eſſentiam, prius eſt eo quod capit eſſentiam. A ſeipſo igitur habet vt ſit, imò ipſe eſt ſuum eſſe. Ateq; hoc ſignificat *Ariſt. cap. illo 7° citato*, vbi de Deo ait, per ſeipſum eſt.

2um. *Deus omnibus alijs rebus dat ſuum cuique eſſe quo ſunt, nam à ſeipſis, ſuum eſſe habere non poſſunt, cùm hoc ſit proprium primi Entis. ab alijs verò ſi habeant, vnde niſi ab eo, qui eſt primum Ens?* Agnoſcit hoc *Ariſt. lib. 1. Metap. cap. 2.* Deus (inquit) cauſa omnibus eſſe videtur & principium.

3um *Deus eſt infinitus omni modo. 1° infinitus duratione, ideoq; æternus.* Aſſerit hoc *Ariſtoteles Lib. 12. Metaph. C. 7.* Deus (inquit) ſempiternus, optimumq; vivens eſt. & iterum vita & æuum continuum & æternum Deo ineſt. Et iterum ſubſtantiam æternam vocat. Veriſſimè quidem iſta omnia. Nam ſi cœpiſſet eſſe, oportuit aliquid deduxiſſe ipſum à non eſſe ad eſſe: quod ſi aliquid hoc feciſſet, illud certè Deo prius fuiſſet: at ipſe eſt Ens omnium primum vt ante probatum fuit. 2° *Eſt infinitus potentia.* Nam aliter agere ab æterno non potuit. Agit verò & ab æterno agit, quia ipſius vita operatio eſt, vt docet *Ariſt. Cap. illo 7° citato, Lib. 12. & Lib. 2 de Cœlo Cap. 3.* Vita autem ejus æterna eſt, vt ibidem aſſerit. Quod verò *Ariſt.* ibidem ait eum ab æterno moviſſe (cœlum ſcilicet) ideoq; infinitam illius potentiam eſſe concludit, ratio ſanè illa ſatis valida eſſet, ſi motionem cœli æternam cum *Ariſt.* quis concedat. Sed opinio illa de æternitate mundi,

di, est insignis Philosophi vulgò & ore omnium rejectus error. Quare eo relicto, rectius hac ratione potentiam Dei infinitam esse judices, quia res alias omnes à non esse ad esse, ipse perduxit; at inter non esse & esse, est infinita distantia, quare ad superandum infinitam istam distantiam, infinita potentia necessaria fuit. 3° *Est infinitus sapientia*; nam infinita potentia sine æquali sapientia omnia statim pessundaret, quare tanta sit ejus sapientia oportet, ad res ordinandum, quanta fuit potentia ad easdem efficiendum. 4° *Est infinitus bonitate*; Nam potentia & sapientia sine æquali bonitate in malitiam vertitur, ipse verò vt sempiternus ita optimus est, vt ex *Arist.* nuper monuimus, qui Deum optimum vivens appellat. 5° *Est infinitus essentia*, quia nec duratio, nec potentia, nec sapientia, nec bonitas ejus major esse potest quam essentia, cum ergo ista infinita sint vt modò probatum est, erit sine dubio & essentia ejus infinita. 6° *Est infinitus loco sic vt nullius loci finibus contineri possit.* Nam essentia infinita finito loco contineri non potest, tum enim finita esset, non infinita. Deinde quomodo locus vllus eum contineat, qui ante omnem locum & sine omni loco fuit, & ab æterno etiam sic fuit? *Excelsior cœlo est, ait Iob. Cap.* 22.12. ergo est supra & extra omnem locum, & sine loco, extra locum existit. Verissimum quidem est Deum vbiq; esse, id est, in omni loco, imò & vbiq; totum esse, *Nam cœlum & terram ille implet. Ier.* 23.24. sed sic est vbiq;, vt sustineat & contineat omnia, etiam ipsum locum, non sic vt ipse sustineatur aut contineatur ab vllo, aut finibus vllius loci. Rectè *Aug. Lib.* 6. *Conf. Cap.* 3. Deum alloquens, vbiq; totus es, & nusquam locorum es, id est, nullo loco contineris.

Quod

Quod ipsum *Lib. ad Dardan. Cap. 4. & 5.* explicans, pulcherrimè & disertè docet, Deum sic esse vbiq; non vt sit diffusus per omnem mundum sicut fumus, aut humor, aut aer, aut lux, ita vt in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atq; ita per totum mundum totus, sed est in solo cœlo totus, & in solâ terrâ totus, & nullo contentus loco, in seipso est vbiq; totus. *Postremò est infinitus omni omninò perfectione.* Quis enim illi fines vllos aut termino statuere, aut imponere potest? Non ipse sibi: nihil enim sese definit. Non aliud quidquam, nam ipse ante omnia fuit, ipse eis omnibus fines suos attribuit: ab ipsis igitur eum fines vllos capere impossibile est. Quare cum fines nullos perfectionis accipere aut habere potest, certè in omni perfectionis genere infinitus vt sit, necesse est.

4um *Deus est incomprehensibilis ideoq; ineffabilis. Ita vt nec ab homine, nec vlla creatura plenè & perfectè explicari aut intelligi possit & cognosci.* Sequitur ex tertio. Nam omne receptum recipitur ad modum recipientis. Quare cum mens humana & alia omnia præter Deum finita sunt, certè Deum qui infinitus est, non magis capere & comprehendere possunt, quàm vrceolus oceanum, aut palma manus immensitatem cælorum. Parum dixi: nam inter ista (quia sunt finita) est certè proportio, at inter finitũ, & infinitũ nulla omninò est proportio, vt verè ait *Arist. lib. 1 de cœlo ca. 7.* Nulla igitur inter Deum & humanã mentem. Imò & omnes creaturas infinitis ille parasangis excedit. *Ecce, cœli cœlorũ non capiunt te. Tu homuncio, vermiculus, qui ad eum instar nihili, imò (Isa teste cap. 40. 17.) minus nihilo es, tu illum capies?* Non potis es. Illud quantulumcunq;

quod de Deo vel dicere vel intelligere possumus, si ad eum conferatur, verè inscitia est. Rectissimè *August lib. 2. de Ordine cap.* 18. Nulla est de Deo scientia in animo, nisi scire quod eum nescias, & *lib.* eodem *cap.* 16. ille melius scitur nesciendo. Visne de Deo dicere quid sit? (nos nec diximus nec dicere possumus) Audi *Aug. lib. contra Adimant. cap.* 7. omnes opes linguarum, omni ineffabili sublimitate præcedit. Visne eum intelligere? Audi iterum, *Aug. lib.* 5. *de Trinit. cap.* 1. Quomodo intellectu Deum capiat homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capit? Visne vel cogitare ipsum? Audi tertiò, *Aug. lib. & cap. eod.* Semper Deum cogitare debemus, de quo tamen dignè cogitare nunquam possumus. Ego hic cum Simonide diem de die postulo, silebo, nec quid Deus sit vel enitar effari: monitus non tam ab Harpocrate, qui (*teste Varr. lib* 4 *de ling. Lat. & Aug. lib.* 18. *de civ. Dei. cap.* 5. Digito ad simulachrum Isidis labijs impresso, significari voluit non posse quid sit Deus voce aut verbis explicari: quàm ab *Augustino, qui lib. contra Adimant. Cap.* 11. rectissimè docet, quòd honorificum silentium potius Deo cõvenit, quàm vlla vox humana.

5um *Deus est omnipotens.* Sequitur ex 3io. Nam si quid esset quod ipse non posset tum potentia ejus esset finita, & ad quædam solum efficienda extenderetur, ideóq; finibus certis contineretur. At potentiã ejus esse infinitam ante (etiam ex *Arist.*) probatum est. Memineris verò cum Deum omnia posse dicamus, ea intelligi quæ possibilia sunt, seu quæ possunt fieri: vel omnia quæ si fiant contradictionem non implicant, vt rectè explicat *Aquin. part.* 1. *q.* 25. *art.* 3. Etenim non potest duo contradi-

ctoria

ctoria simul verâ facere, aut falsa; nam hoc implicat, idem esse & non esse, aut esse verum, & non esse verum. Atq; hoc ex *Agathone* (cujus sententiam approbat) monet *Arist lib. 5. Ethic. cap. 2. Hoc etiam ipse Deus, soloq; carere videtur Infectum vt faciat quod factum est atq; peractum.* Nam hoc implicat idem simul factum esse, & non esse factum. Similiter neq; se in corpus aut vllam creaturam mutare potest, nam hæc omnia tollunt infinitatem diuinæ essentiæ, ideoq; implicant eum & finitum esse, & non esse finitum, id est, esse Deum, & non esse Deum. Eadem ratione peccare, aut malus esse non possit. Nam malum esse, vel peccare est deficere à bono quod inesse debet. Vt rectè monet. *Aug lib. de morib. Manich cap. 1. & 4.* at defectus vllius boni in Deum cadere non potest, quia est infinitus bonitate, infinitus perfectione vt ante probavimus. Deinde malum seu peccatum est privatio boni, vt verè ait *Aug. in Ench. cap. 11.* at Deus nullo bono privari potest, cum sit infinitè & essentialiter bonus. Quare & hoc implicat contradictionem, nempe Deum infinitum esse bonitate, & non esse infinitum bonitate. Addo vlterius. Tantum abest vt Deus malus esse possit, aut peccare, vt neq; causa, author, vel efficiens mali aut peccati esse possit, sicut nec lux tenebrarum, nec calor frigoris, nec sonus silentij, nec præsentia absentiæ. Cujus ratio est evidens. Nam peccatum formaliter est ipsa privatio boni, vt ex *Aug.* monuimus. Privatio autem est non ens, cum sit absentia entis, vt clarissimè docet *Aug. lib. 1. de Genes. contra Manich cap. 4.* vnde tum *Franc. Maro* in suis notis ad librum *Aug. contra Epist. Manich. cap. 29.* tum etiam *Navar. in suo Ench. præludio 7. nu. 14.* ex *Augustino* observant peccatum

esse non Ens seu nihil. Vel vt *Mario* loquitur *Nihileitatem.* Quo etiam illa verba ab *Aug.* torquentur in *lib.2.sent distinct.37.q.2.art.1.* Sine ipso factum est nihil: quod ille peccatum interpretatur; indicans scilicet Deum omnia entia fecisse, illorumq, auctorem & effectorem esse, at peccati quod est privatio Entis, ideoq; non Ens, effector non est neq; causa. Cum igitur malum sit non Ens, efficientem causam non habet sed deficientem, vt rectè monet *August lib.12.de Civit.Dei.cap.7.* Nemo quærat efficientem causam malæ voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est sed defectio. Iam cum defectus in Deo nullus esse possit, cum sit infinitè perfectus, certum est quod causa vel author peccati esse non possit. Defectus autem illè qui est deficiens causa peccati est hæc, quia voluntas non attendit ad legem divinam, neq; respicit regulam rationis dum operatur; & ideo hæc non attendit & respicit, quia non est summè bona, sed deficit à perfectione summi boni. Iste defectus in voluntates creaturæ cadere potest, at in voluntatem Dei qui infinitè perfectus est & summè bonus cadere non potest, quare causa illa deficiens peccati in ipso esse non potest. Implicat ergo & hoc contradictionem vt Deus sit Author vel causa peccati quia tum esset & infinitus bonitate, & tamen deficiens in bonitate. Rectè *Plato lib.2 de rep.* Bonorum solus Deus causa est dicendus, malorum autem quamlibet aliam præter Deum causam quærere decet. Hac eadem ratione fit, vt non possit vllam creaturam sine sua essentia efficere, aut conseruare, vt non efficere vt hoc sit animal & simul sit non viuens, quia cum esse viuens sit de essentia animalis;

si

si hoc simul esset animal & non vivens, tum simul esset vivens & non vivens. Itidem non potest efficere vt hoc sit homo & simul sit non rationale quia hoc implicat eandem contradictionem. Similitèr efficere non potest, vt hoc sit accidens & simul non insit in subjecto. Nam cum Accidentis esse sit inesse, hocq; sit ejus essentia vt sit in subjecto, si aliquid simul esset accidens & non esset in subjecto, tum simul esset in subjecto, & non esset in subjecto. Relinquitur ergo quod cum dicamus Deum posse omnia, hoc de omnibus intelligatur quæ si fiant, contradictionem non implicant.

6um *Deus est omniscius.* Sequitur ex tertio. Nam si vlla ipse nesciret, tum ejus sapientia esset finita, at infinitam esse probatum est. Scit vero non actiones solum & illa quæ exteriùs sunt, & in oculos incurrunt, sed & ipsas mentium cogitationes. *Tu solus καρδιογνώστης.* Soli Deo mens peruia & aperta. Rectè *Thales* apud *Diog. Laert. lib.* 1. interrogatus, lateretne Deum homo malè agens? ne cogitans quidem respondit. Neq; præsentia solum & præterita ille scit, sed præscit omnia futura, etiam ea quæ maximè contingentia sunt. Quod vt sibi proprium Deus ipse vendicat. *Isa.* 41. 23 Deos gentium, Deos ille stercoreos alloquens, *Iudicate quæ eventura sunt, vt cognoscamus vos esse Deos.* Idoneum nimirum divinitatis testimonium, veritas prædictionum, vt notat *Tert. in Apol. cap.* 20.

7um *Deus est Ens simplicissimum, omni omninò compositione carens.* Sequitur ex descriptione anteposita. 1o *caret compositione ex partibus essentialibus,* nam illę priores sunt suo composito, at Deo nihil est prius, cum ipse sit primum omnium Entium.

2o *Caret compositione ex partibus integrantibus.* Nam

quicquid ita componitur est corpus aut corporeum, at omni corpore est aliquid prius, nempe substantia quæ est genus corporis. Deo autem nihil est prius.

3° *Caret compositione ex partibus subiectivis*, nam quicquid tales partes habet, genus est, aut species; at Deus neq; genus esse potest, neq; species, cum ejus natura nulli nisi vni competere potest, vt post ex *Augustino* ostendemus, essent autem plures Dij si Deus genus esset aut species. 4° *Caret compositione ex subiecto & accidente*, nam in Deo accidentia nulla sunt, aut esse possunt: Cujus ratio est hæc, quia si ille accidenti vlli substaret, aut ejus subjectum esse posset, tum esset aliqua essentiæ communis ipsi & substantijs completis. vtraq; enim in hoc essentiali attributo convenirent, quod possent substare accidentibus. Quod si aliquod esset essentiale Deo & creaturæ, tum esset aliquod naturâ prius Deo, at ipse est primum Ens, vt antè probatum est. Docet hoc idem *Aquin. part. 1. q 3 art. 6.* & in quæst. disput. *q 7. art. 4.* absq; omni dubitatione (inquit) tenendum est, quod in Deo nullum sit accidens. Docuit hoc ante ipsum *Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 2.* Deo (inquit) aliquid accidere non potest. Et *cap 3.* nihil accidens in Deo, & quicquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundùm accidens, sed secundùm substantiam dicitur. Idem iterum ait *lib. 6. cap. 4.* & *lib. 15. cap. 5.* & sæpissimè hoc repetit. Audi illius verba lib. *de fide & Symb. cap. 9.* In Dei substantia non est aliquid, quasi aliud ibi sit substantia, aliud quod accidit substantiæ, sed quicquid ibi intelligi potest, substantia est. Etiam ipse relationes in Deo accidentia non sunt, vt docet *Aquin. part. 1. q. 28. art. 2.* Nihil (inquit) est in Deo

Deo vt accidens in ſubjecto, ſed quicquid eſt in Deo, eſt ejus eſſentia. Ex hoc rectè dicitur in ſchola, quod quicquid de Deo dicitur, Deus eſt; vt *Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 8.* ait. Non aliud eſt Deo eſſe, & magnum eſſe, ſed hoc idem illi eſt, eſſe, & magnum eſſe: & *lib. 7. Conf. cap. 4.* voluntas & potentia Dei, Deus ipſe eſt. & clariſſimè *lib. 5. de Trinit. cap. 10.* Deus non participatione magnitudinis magnus eſt, ſed ſeipſo magno magnus eſt, quia ipſe eſt ſua magnitudo. Hoc & de bonitate & æternitate, & de omnipotentia Dei dictum ſit, omnibuſq; omninò prædicatis quæ de Deo poſſunt pronunciari. Sic ille. Quare bonitas, juſtitia, & ſimilia, quæ in creaturis accidentia ſunt, in Deo accidentia non ſunt. Sed vt idem *Aug.* pulchrè aſſerit *lib. illo 5. de Trinit cap. 2.* Deum intelligamus ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentiâ creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine motu omnia tranſcendentem, ſine loco vbiq; totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſui mutatione mutabilia facientem. Quæ repetuntur in lib. illo Meditationum, qui falſò *Auguſtino* aſcribitur *lib. 1. cap. 12.* Quin & hoc ipſum vidit *Ariſt.* ideòq; *Deum eſſe ſuam vitam, ait, lib. 12. Metaph. cap. 7. & lib 3. de Anima cap. 5.* ait, intellectum ſeparatum (vult autem Deum) ſolum eſſe id quod eſt, quia videlicet in ipſo nihil eſt quod non ſit ipſe, ipſiuſq; eſſentia. Cum igitur Deus omni omninò compoſitione careat, reſtat eum eſſe Ens ſimpliciſſimum.

8um. *Deus eſt impaſſibilis.* Sequitur ex 7°. nam paſſio quæ alicui infertur, accidit ei cui infertur: at Deo nihil accidere poteſt, cum accidens in eo nullum eſſe poſſit. Deindè agens omne eſt nobi-

lius patiente, vt x *Arist.* & *Aug.* rectè monet *Aquin. part.1.q.79. art.2.* & ratio ejus est hæc, quia omne agens in quantum agit majorem vim & potentiam habet patiente: Nam si vel major, vel æqualis vis sit alicujus ad resistendum actioni, quam est alterius ad agendum, certè agens tale, cum debilius sit patiente, nunquam agere in illud posset: at Deo nihil est, aut esse potest nobilius, nihil potentius, cum illius potentia sit infinita. Nihil igitur tantam vim habet ad agendum in ipsum, quantum ille habet ad resistendum illius actioni. Nihil igitur in ipsum agere potest. Quare nec ille quidquam pati potest. fierit hoc apertè *Arist. lib.1. de Gen & Cor. cap.7.* primum (inquit) agens est passionis expers, & rationem reddit, quia quæ immaterialia sunt, impatibilia agunt. Deus autem immaterialis omninò, cum sit Ens simplicissimum, omni omninò compositione carens. Quod si ex materia constaret, sine dubio ex partibus essentialibus componeretur.

9um. *Deus vnicus est, aut si cum Bern. lib.5. ad Eug. loqui vis, Deus vnus est, & si dici potest vnissimus.* Sequitur ex 3o. nam duo infinita actu esse non possunt, quia quicquid est infinitum, illud omnem perfectionem quæ esse potest, in se habet, vel formaliter, vel eminenter. At si essent duo infinita, tum infinita perfectio esset in vno, quæ deesset alteri, ideòq; neutrum revera infinitum esset.

10um. *Deus est immobilis*, nam quicquid localiter movetur, illud tendit vel à toto loco, vel à parte illius loci in quo est, ad alium locum, vel partem loci in quo non est. At Deus cum sit infinitus, est vbiq;, & in omni loco, imò est totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci, vt antè probavimus.

Neq;

Neq; igitur recedere poteſt ab vllo loco in quo eſt, neq; accedere ad vllum locum in quo non eſt. Eſt igitur immobilis. Docet hoc aperte *Ariſt. lib. 1. de Gen. & Cor. cap. 7.* Primum movens (inquit) omni motu vacat: & *lib. 12. Metap. cap. 7.* concludit Deum eſſe æternam, immobilemq; ſubſtantiam: & *cap. 8.* primum entium tum per ſe, tum per accidens eſt immobile.

11um. *Deus eſt omni modo immutabilis.* Sequitur ex 7°. nam ſi ullo modo mutari poſſet, tum poſſet recipere aliquod in ſe, quod priùs non habuit. Omne autem tale eſt accidens, at accidens in Deo nullum eſſe poteſt. Atq; hinc ſequitur, Deum ab æterno omnia præſciviſſe; nam ſi quidquam de novo ſciret, tum in ſcientia mutaretur, at eſt immutabilis.

Hæc (& fortè alia nonnulla his conſectanea) ſunt illa Dei attributa, quæ Metaphyſici ductu ac lumine rationis de Deo tradunt, quæq; balbutire veriùs ſolent, quàm proloqui. Hæc ego libentiùs ex *Ariſt.* obſervanda putavi, quoniam is apud multos malè audit, quaſi parum rectè de Deo ſenſiſſet. Audeo verò dicere neminem omnium non modò Philoſophorum, ſed nec omnium Ethnicorum de Deo rectiùs, veriùſq; ſcripſiſſe. Quæ verò de Deo à Theologis, è ſacris literis traduntur, ea omnia miſſa facio, nec in illorum ſacram meſſem niſi petitâ veniâ falcem immittam.

Eſt autem hæc ſecunda Metaphyſicæ pars quam Theologiam (humanam nempè) appellare licet, cum ſit doctrina de Deo, ſicq; eam expreſsè vocat *Ariſt. lib. 11. Metap. cap. 6.* vbi tria genera ſpeculativarum ſcientiarum facit, Phyſicam, Mathematicam, Theologiam. vult autem Metaphyſicam;

quæ

quę non niſi reſpectu hujus partis Theologia vocanda eſt. Quod verò illic ſcientiam vocat, memineris ſic vocari largo modo. nam ſcientia propriè dicta non eſt. Cum ſubjectũ in propria dicta ſcientia debeat eſſe vniverſale. Deus autem qui eſt ſubjectum hujus partis Metaphyſicę, eſt ſingularis,& vnus, imò vniſſimus. Et neq; genus,neq; ſpecies,vt *Aug.* verè docet *lib.7° de Trin.cap.6.* & *Aquin p 1.q 3.art 5.* Deindè in ſcientia propriè dicta ſunt aliqua principia ſubjecti, & aliqua accidentia ab illis principijs Fluentia quæ de ſubjecto demonſtrentur. At principia Dei nulla eſſe poſſunt,cum ſit primum Ens, neq; accidentia vlla ei ineſſe poſſunt. Quare ſi propriè loqui volumus, partem hanc Metaphyſicę diſciplinam ſeu doctrinam de Deo dicamus, qualem ſcilicet humanâ ratione (ſine ſupercœleſti lumine) aſſequi valemus.

CAP. III.

De Ente finito in communi.

DIximus de Ente infinito. Sequitur Ens finitum, quod conſiderandum 1° in communi, 2° in ſpeciali.

Ens finitum eſt Ens quod certis finibus continetur, talc eſt omne Ens, præter Deum.

Proprietates ejus ſunt hæ.

1ª. *Omne Ens finitum habet eſſentiam finitam.* Nam ſi eſſentia vllius rei pręter Deum eſſet infinita, tum eſſent duo aut plura infinita actu. At hoc eſſe impoſſibile ſupra probatum eſt *cap. 2. attrib. 9.* Vndè *Aquin. part 1.q.7.art.2* ait, Deum non poſſe facere aliquid infinitum; quia implicat contradictionem

dictionem vt factum sit, & sit infinitum, quoniam si factum est, fines accipit suæ essentiæ; at si infinitum sit, fines essentiæ nullos habet.

2ª. *Omne Ens finitum finitur à Deo, & ab eo essentiæ fines accipit.* Nam finitur vel à se, vel ab alio. A seipso nihil finiri potest, quia quod dat fines alicui prius est, & dignius eo quod capit fines, at nihil seipso vel prius est, vel dignius. Ab alio igitur fines capiat necesse est: at præter Entia finita, nihil est nisi Ens infinitum quod est Deus, quare ab eo fines & terminos suæ essentiæ vnumquodq; Ens finitum accipit.

3ª. *Omne Ens finitum habet potentiam finitam.* Sequitur ex 1ª. nam potentia nullius rei major esse potest quam illius essentia, quia omne receptum recipitur ad modum recipientis. Quare si essentia rei sit finita, sine dubio potentia quæ recipitur in illa essentia, non potest esse infinita: at cujusq; Entis finiti essentia est finita, vt probavimus. Est igitur & potentia ejus finita. Atq; hoc disertè docet *Arist. lib.* 2. *Metap. cap.* 7. nihil finitum (inquit) infinitam potentiam habet.

4ª. *Omne Ens finitum loco finito comprehenditur, neq; in infinitum extenditur.* Sequitur ex 1ª. nam si extensio infinita illi conveniret, certè etiam essentia ejus esset infinita. at omnis entis finiti, essentia est finita, vt probatum est.

5ª. *Omne Ens finitum, est duratione finitum.* Loquor autem de duratione à parte ante; nam à parte post infinitam durationem habere possunt, & habebunt Entia finita. Sequitur ex 2ª. Nam quia omne Ens finitum habet suum esse ab alio, ideò factum est. fieri autem est deduci à non esse ad esse. aliquandò ergo non fuit, quare cæpit esse,

esse, atq; ita ab æterno non fuit. hoc illud est quod *Arist.* verissimè docet *lib. 1. de cœlo, cap. 10.* Impossibile (inquit) est, vt idem perpetuum sit, & tamen factum sit. quare cum Deus causa sit efficax nempè, & principium omnibus, vt *Arist.* ait. *lib. 1. Metap. cap. 2.* hinc sequitur nihil præter Deum æternum esse, sed alia omnia cæpisse, cum antè non erant. Potest hoc idem aliter etiam demonstrari, contrà eos qui mundum æternum fuisse somniant. *Socrates* generatur à suo patre, vt a causa efficiente & procreante, ille ab avo, hic à proavo, abavo, atavo, & sic deinceps Quæro hic an ad primum aliquem parentem perveniens, an in infinitum progredieris? Si ad primum vbi sistas, pervenis, tum mundus ab æterno non fuit, sed initium habuit, sicut primus ille parens. Si dicas in infinitum progrediendum esse (quod posita mundi æternitate necessariò dicendum est) tum sequitur oportuisse antè generationem *Socratis* infinitas causas procreantes actu pertransiri. at infinitas causas actu pertransiri planè impossibile est, nam si vnquam pertranseantur, finitę sunt. Aut si actu pertransiri potuisse adhuc putes, certè tam facilè actu pertranliri possunt retrogrediendo à *Socrate*, & lursum ascendendo, quàm poterunt progrediendo aut descendendo ad *Socratem.* at posita mundi æternitate, parentes *Socratis* antegressos, impossibile est actu vnquam pertransire, cum ad finem eorum nunquam pervenire poteris, quippe finis eorum omninò nullus est, ex ista suppositione. Restat igitur vt concedas aut nullum hominem posse vnquam generari (quia ab infinitis causis nullus effectus procedere potest) aut quia certum est, homines generari ideò ad primum aliquem

sequem parentem perveniendum esse. Huc spectant ea quæ *Arist.* habet 2. *Metap cap.*2. Si primum nihil est, omninò nulla causa est. & *cap.eodem.* generatio non est infinita sursum versus Idé sic etiam demonstrari potest. Certum est esse numerum dierum & annorum qui effluxerunt, nam est in eis multitudo vnitatum, multitudo autem vnitatum numerus est, vt definit *Eucl. lib.*7. *def.*2. Quæro jam de illo numero finitusne actu sit, an actu infinitus? Si dicas esse actu finitum, das quod volo, mundum non esse æternum, sed sicut tempus cepisse. Nam ad primũ diẽ & annũ cum perveneris, ibi initiũ mundi. Si dicas esse actu infinitũ (quod planè dicendum est) tollis ipsam numeri naturã, & contradictionem implicas. Dicere enim hoc esse numerum, & esse actu infinitum, contradictoria sunt. Quia omnis numerus numerabilis est, vel numerari potest, vt ait *Arist. lib.*11. *Metaph. cap* 9. Infinitus autem numerus numerari non potest, quia ad finem in numerando non potest perveniri. Et numerus omnis additione vnitatum fit major. Ex quo fit vt numerus maximus dari non possit, vt ait *Arist. lib de lin. insecab.* at infinito numero major dari non possit, nam infinito nihil est majus. Præterea omnis numerus est par vel impar. nam hoc numero per se, & quatenus numerus est convenit, vt docet *Arist. lib.*1. *Demon. cap.*4. at infinitus numerus nec par est nec impar, vt idem ait *lib.*13. *Metap.c.*8. Postremò omnis numerus ablatione dimidij absumitur, & finitas habet divisiones, vt ait, *Arist. lib. de lin insecab* at infinitus numerus, nunquam absumi potest, quantascunq; partes ei demas. Quare cum numerus infinitus nullus esse possit, sequitur mundum non fuisse ab æterno, quia hoc pacto infinitum

finitum numerum tum dierum, tum menſium, tum aliorum dari neceſſe eſt. Idem ex numero animarum humanarum apertiſſimè probari poteſt. Nam cum animæ humanæ immortales ſint, vt etiam *Ariſt.* agnoſcit *lib.* 12. *Metaph. cap.* 3. certum eſt numerum omnium quæ vnquam fuerunt jam extare actu. Quare poſita mundi æternitate ſequitur infinitas numero animas jam actu extare. At infinitas (vt jam probatum eſt) repugnat eſſentiæ numeri. Vide alias rationes de hac re apud *Franſc. Valeſ. lib. de ſacra Phil. cap* 1.

Hinc jam abundè liquet *Ariſt.* qui mundi æternitatem ferè omnibus in libris prædicat, non modò erraſſe, ſed ſibi ipſi etiam, ſuiſq; principijs, ijſq; quæ ratio ipſa dictare potuit, repugnaſſe. Humanum nempe eſt errare, & humani nihil ab eo alienum fuit. Quanquam ſit non Nemo qui *Ariſtotel.* hunc ſuum de mundi æternitate errorem retractaſſe in lib. ſuo de mundo autumat, vt *Author Ref. par.* 2. *p.* 4°. *ſed non ego credulus illi.*

6° *Omne Ens finitum ex nihilo factum eſt; puta vel immediatè vel mediatè.* Sequitur ex 5°. Nam omne tale Ens factum eſt vt probavimus, quare cæpit eſſe cum ante non erat. Quod ſi nullum Ens finitum erat ex quo fieret, factum ergo eſt ex nihilo, nam ex ente infinito fieri non potuit. Aut ſi dicas aliquid Ens finitum (puta materiam primam) vt exiſtimavit *Plato* fuiſſe æternam ideò non factam, illud jam refutatum eſt, cum omnia præter *Deum* facta eſſe oſtenderimus. Quæro ergò de prima omnium materia an ex aliquo priori facta ſit, an ex nihilo? ſi ex aliquo tum non eſt illa prima vt tu ponis. Sed adhuc quæro de illa priori, an illa ex priori facta ſit an ex nihilo, & ſic aut in infinitum pro-

procedes, quod eſt impoſſibile, quia ex infinitis præcedentibus cauſis nihil fieri poteſt cum illę actu pertranſiri nunquam poſsent, ſi verò ad aliquod pervenies quod ex priori materia non eſt factum, certum eſt illud (quia factum eſt) ex nihilo factum eſse. Atq; etiam hoc ipſum ratione duce omninò fatendum eſt. Quare quod *Ariſt. lib. 7. Metaph. cap. 7* & alibi ſæpe dicit, omnia quæ fiunt ex aliquo fieri; & ex nihilo nihil fieri: id ita intelligendum eſt, quod ex nihilo nihil generetur vel fiat per modũ generationis, nam quicquid generatur ex præcedente materia generatur. Sed per modum creationis ex nihilo aliquid fieri, imò omnia pręter Deum fieri certiſſimum eſt. Et licet *Ariſt.* de creatione nihil dicit, tamen nihil omninò tradit quod ei contradicit: neq; ullibi quicquam aſſerit, quod creationi ex nihilo (quam ipſa ratio etiam docet) repugnet. Imò verò cum animus humanus diuinitus infundi ſentiat, non dubito eum & animas illas fieri, & ex nihilo fieri (hoc eſt autem creari) ſenſiſſe.

Atq; hæc de Ente finito in communi dicta ſint: quod eſt ſubjectum hujus tertiæ partis Metaphyſicæ. Illud poſtremò monendum eſt, hanc partem Metaphyſicæ non eſse ſcientiam propriè dictam. Nam ſubjectum hujus partis non eſt verum, reale & vniuocum genus aut ſpecies. Nam ſi eſset de ſuis differentijs diviſivis dici non poſset. At illæ (quaſcunq; fingas) ſunt entia finita. Entia enim vt ſint neceſse eſt, quia aliter eſsent non entia. finita autem entia ſunt, quia nullum Ens præter Deum infinitum eſt aut eſse poteſt vt probavimus. Cum igitur Ens finitum differentias nullas habet, certè nec ſpecies habere poteſt, quare vnivocum genus

&

& reale non est, at ad scientiam propriè dictam requiritur vt ejus subjectum sit non solum reale sed vnivocum. Præterea entis finiti nulla sunt vel realia principia, ex quibus proprietates demonstrandæ de eo, fluant; vel veræ proprietates quæ de ipso demonstrentur. Quare hæc etiam pars Metaphysicę disciplina vocanda est, vt priores duæ, non propriè dicta scientia.

CAP. IV.
De Accidente.

DIximus de Ente finito in communi, nunc de eo in speciali dicendum. Est autem Ens finitũ duplex. Accidens, & substantia. Et quidem ratio ordinis postulare videtur vt priùs de substantia, quia dignior est, agamus, sed quoniam pauca sunt quæ de Accidente Metaphysicus tradit, plura quæ de substantia, & quia in ipsa tractatione substantiarum, Accidentia illarum tradi solent & debent, ideò priùs absolvendum putaui hunc tractatum de Accidente, vt sine vllâ interruptione in tractatione substantiarum liberè progrediamur.

Accidens est Ens finitum inhærens in subiecto, seu quod inest in subiecto inhærentiæ. Inhærere autem seu inesse in subjecto (definiente *Arist. in antepræd.*) est inesse alicui non vt pars ejus, nec vt possit sine sui interitu separari ab eo cui inest. Descriptio autem illa antepositâ (quæ tum ex *Arist. 5. Metaph. cap. 5. & 1° Top. cap. 5.* tum ex *Porphyrio* ca. de Accidente colligitur, vbi vterq; per inesse in subjecto seu inhærere accidens definit) complectitur tam accidens proprium, quam commune. Nam in hoc vtraq; conveniunt quod subjecto inhæreant. Acci-

dens

dens autem proprium id vocatur, quod fluit vel à ſimplici eſſentia, vel ab eſſentialibus principijs ſubjecti cui ineſt. Sic ſubſtare accidentib⁹, eſt proprium accidens, ſeu proprietas ſubſtantiæ completæ, riſibilitas hominis. Accidens commune vocatur quod aliundè oritur neq; fluit ab eſſentia illius ſubjecti cui ineſt, ſic calor ineſt aquæ, lumen aeri.

Illud hic notandum vnamquamq; ſcientiam debere tradere accidentia propria ſubjecti illius quod in ea tractatur, quia iſta ipſa accidentia ſunt quæ de illo ſubjecto per eſſentiam, aut principia eſſentialia demonſtrari debent. Vbi autem tales proprietates ſeu accidentia propria vera & genuina non ſunt, (vti non eſſe in 1ª 2ª & 3ª parte Metaphyſicæ diximus) ibi, loco earum, tales proprietates quales iſtis ſubjectis conveniunt, ponendæ ſunt. Iſta autem accidentia omnia propria nec ad Metaphyſicam, nec ad Phyſicam, nec ad vllam vnam ſcientiam pertinent, ſed cujuſq; accidentis proprij tractatio ad illam ſcientiam ſpectat, in quâ ſubjectum ejus tractatur.

Accidentia verò communia cum non conſequantur eſſentiam ſubjecti, neq; ex ea fluant, ſed extrinſecus adveniant, et per accidens, ideo iſtorũ tractatio neq; ad Metaphyſicam, neq; ad Phyſicã, neq; ad vllam ſcientiam pertinet, nam ejus quod per accidens eſt, & non neceſſariò, non eſt ſcientia vt docet *Ariſt. lib. 6. Met. cap* 2. & idem ſenſit *lib.* 11 *Metaph. cap.* 7. vbi ſic ait. Quod non ſit poſſibile accidentis ſcientiam eſſe, manifeſtum eſt. Accidentis nempe talis quod contingenter & non neceſſariò ſuo ſubjecto convenit. Quomodo enim poteſt eſſe certa ſcientia quod inſit, cum idip-

sum an insit subjecto, aut ei conveniat, incertum est. Quare si de istis accidentibus communibus vel in Metaphysica, vel in Physica vel alijs scientijs agat *Arist.* certè facilioris doctrinæ causa, vel ad alia illustranda istorum tractatio pertinet, non autem quia hæc ad scientiam illam propriè spectant.

Proprietates accidentis sunt hæ.

1ª *Accidentis esse est inesse. hoc totidem verbis tradit Aqu. part. 1. q 28. art. 2 add. tq. quod in esse subiecto, est esse quod competit vnicuiq, accidenti secundum quod est accidens.* Sequitur etiam ex descriptione posita, vbi essentia accidentis per inesse in subjecto explicatur, & significatur accidens non posse existere sine subjecto. Sequitur idem ex illa definitione inessendi in subjecto quam ponit *Arist.* Nam quod inest in subjecto, separari non potest ab eo interim vt maneat. Quare si accidens manet, non separatur à suo subjecto, sed eidem inhæret: si non inhæret, non manet, sed est non Ens. Idem clarissimè confirmatur ex 2ª divisione antepræd: quam ponit *Arist.* Omne Ens vel inest in subjecto, vel non inest. Certum est enim sub vno horum membrorum omne omninò Ens comprehendi. Iam si non insit, substantiam vocat: Si verò insit, Accidens. Hæc *Arist.* perspicuè mens est nemine refragante. Finge nunc aliquod accidens existere & non inesse subjecto. sequitur necessariò illud substantiam esse. Nam si non inest, substantia est.

Quare quæ Sacrifici toties inculcant non sine nausea, vt suum dogma imò portentum Transubstantiationis tueantur, novitium dico illud & nuperum dogma ignotum *Lombardo* vt clarè liquet *lib. 4. sent. dist. 11* quod fatente *Bellar. lib. 3. de Sacram Euchar. cap. 23.* vel *Scoto* suo, viro vt ipse ibidem ait doctissimo

doctissimo & acutissimo iudice, ante Lateranense Concilium sub *Innoc.* 3°. id est, ante annum à Christo millesimum ducentesimum & vltra, dogma fidei non fuit, ea (inquam) omnia quæ blaterant de Accidentibus, posse illa existere, & reipsa ibi existere sine vllo subjecto, & ad Accidentis essentiam non pertinere (verba sunt *Bell. lib. cit. c.* 24.) inhærentiam in subjecto, vanissima verè sunt delirantium sophistarum somnia. Tam enim repugnat essentiæ Accidentis existere & non inesse subjecto: quam essentiæ substantiæ inesse subjecto, aut essentiæ hominis esse non rationale, aut essentiæ animalis esse non vivens. Implicant nimirum ista omnia contradictionem. (Nam si dicas hoc esse Accidens & tamen non inesse subjecto, idem est ac si dicas, hoc est in subjecto, & simul non est in subiecto, aut hoc est accidens, & simul non est accidens) ideòq; in eorum numero sunt. de quibus *Bell.* ipse verè agnoscit. *lib. eod. cap* 2. quod nè omnipotens quidem ea facere potest.

Quod verò *Bell cap.* 24 *citato* ait, non solum veteres patres, & omnes Theologos & Philosophos Christianos, sed multos etiam ex Ethnicis, adeòq; ipsum *Arist.* docere Accidentia posse existere sine subjecto, næ ille in hoc egregiè & splendidè sophistam agit & impostorem. Non nescit *Basilij* verba, itemq; *Aristotelis* torqueri à se contra ipsorum mentem, contraq; rei veritatem. Audi pro *Aristotele* loquentem *Fonsecam* tuum *Com in 7. Metaph. cap* 2. *q.* 1. *sect.* 2. Philosophi omnes (ante istud dogma de *Eucharistiâ*) existimabant implicare contradictionem vt accidens existeret in rerum naturâ seperatum à subjecto. Tu *Arist.* contra asserentem somnias. Audi etiam *Aug.* clarissimè loquentem

*lib.2.soliloq.cap.*12. Cui hoc fieri posse videtur, vt id quod in subjecto est, maneat, ipso intereunte subjecto? Monstrosum enim & à veritate alienissimũ est, vt id quod non esset, nisi in ipso esset, etiam cum ipsum non fuerit, possit esse. Audin' dogma vestrum illud de non inhærentia accidentis (ideoq; de ipsa transubstantiatione) vt monstrum, & à veritate alienissimum, à patre, patre dico antiquo & omnium doctissimo, meritò damnari? Audi ex Theologis *Damascen. qui lib. de Dialect. cap.*4. definit accidens esse id quod per se subsistere nequit, sed in alio habet esse. Eccè accidens si in alio non habet esse nequit esse. Audi ex Philosophis *Iac. Zab.* qui *lib.*2.*de prima rerum materia cap.*18. ita ait, Accidens sine subjecto existere nequit. Et iterum in suis *Tab. de* 2ª *divisione antepræd.* proprium est omnis accidentis esse in subjecto inhærentiæ. Proprium autem est re inseparabile à subjecto, vt idem ait *lib.*1 *de* 1ª *Mat. cap.*12. Audi ad extremum *Iul. Scal. exer.*10. Accidentis (inquit) essentia est inhærere. Essentia (inquit) quam si tu tollis, tollis accidens ipsum; Quid plures (sunt certè innumeri) commemorem? Hi ad Sophistæ vanitatem demonstrandum satis sunt, vereor etiam plus satis.

2ª *Accidens nullum potest migrare ab vno subiecto in aliud.* Sequitur ex definitione inhærendi. Nam quod inhæret alicui separari ab eo non potest, ita vt sit. Quare cum omne Accidens inhæreat, certè quamprimũ separatur interit & evanescit in non ens. Quare in aliud subjectum migrare non potest.

3ª *Nullum Accidens habet materiam ex qua propriè, sed solum materiam in qua, quæ est eius subiectum.* Docet

cet hoc disertis verbis *Arist. lib. 8. Metaph. cap 4.* Neque verò (inquit) quicquam eorum quæ non sunt substantiæ materiam habent. Ratio idem declarat, Nam materia propriè dicta, substantia est, vt *Arist.* docet *lib. 7. Metaph. cap. 3.* & *lib. 8. cap. 1.* & alibi passim. Neq; vllibi quod sciam materiæ nomen vlli accidenti tribuit. At substantia non potest esse materia ex qua accidens fiat, quia materia ex qua, est essentiale principium ejus cujus est materia, est enim causa interna illius: at substantia non potest esse de essentia vllius accidentis. Deinde materia propriè vocatur illud quod informatur & actu recipit formas, quas in potentia habuerat: at accidens nullum dici potest informari, sed potius vnumquodq; informare dicitur, neq; recipere formas, sed ipsa recipi dicuntur. Quare nullum accidens materia propriè vocandum est, sed formæ nomen omnibus dandum, vti ea appellat tum *Zab.* & alij interpretes, tum *Aqu. p. 1. q. 76. art. 4. &* 5. & sæpe alias. Dixi propriè. Nam habent sanè omnia accidentia quæ species sunt materiam ex quâ impropriè & Analogicè sic dictam; quippe omne genus analogicè materia ex qua dici potest, quia materiæ assimilatur vt Docet *Porphyr. cap. 8. num. 10.* habet autem omne accidens materiam in qua, quæ est ipsum illud subjectum cui inhæret. Sicut autem materiam ex qua solum analogicè habent accidentia, ita & formam propriè dictam nullam habent, cum ipsæ formæ sint; sed analogicè differentia cujusq; accidentis illius forma vocari potest, vt ex porphyrio monuimus. Quare non assentior *Timplero. lib. 5. sue Metaph. cap. 3. q. 10. &* 11. ita dicenti: Sicut accidentibus quibusdam materia competit propriè; quibusdam impropriè & analo-

gicè, ita forma quibusdam convenit propriè, quibusdam impropriè. Rectiùs *Aqu.1.2.q.55 art.3.* Accidentia non habent materiam ex quâ, sed in quâ, scilicet subjectum. Et *Zab.lib.2. de med. Demon.cap.6.* Accidens nullam aliam habet materiam quam subjectum in quo inhæret, eaq; non est materia ex qua constat, sed in qua est.

4ª. *Omne accidens posterius est naturâ suo subiecto cui inhæret.* Docet id apertè *Arist. lib.7°. Metap. cap.1.* & ratio suadet, nam dependet à subjecto tanquam à suo fulcro & fundamento. Deindè subjectum antequam accipiat vllum accidens, est Ens completum in suo esse, nam omne accidens advenit Enti completo, vt verè ait *Aquin. p.1.q.77. art.6.* Quare si in sua essentia & natura subjectum sit completum sine omni accidente, certè necesse est vt sit natura prius omni accidente. Quare rectissimè *Zab.lib. de constit. Indiuid.cap.2.* ex eo probat accidentia nulla posse esse principium Individualis substantiæ, quia substantia prior est natura suis accidentibus, ideòq; necesse est vt hæc substantia in sua natura sit antequam accidens vllum habere potest. Nam vt *Porphyr.cap.10 & 11.* rectè docet, Genus prius est, nempè natura suis speciebus, Accidens verò tam proprium quàm commune specie cui inest, posterius est.

5ª. *Omne accidens proprium emanat & fluit ab ipsa essentia sui subiecti vel immediatè vel mediatè.* In hoc enim (vt monuimus) differt ab Accidente communi, quia illud semper extrinsecus advenit, & non ab essentia sui subiecti fluit. Hinc est quod *Zab. com in lib.1. Demon. cap.6. text 52.* vocat accidens proprium, accidens essentiale, non quia sit de essentia subjecti, sed quia consequitur ejus essentiam.

am. Atq: hæc ratio est quare Accidens proprium dicatur necessariò conuenire suo subjecto: nam quia subjectum sine essentia esse non potest, certè neq; sine illis quæ essentiam consequuntur esse potest: imò neq; intelligi aut concipi sine illis, qua de re in Annot nostris in præd plura diximus. Dignissima verò observatione, sunt verba *Zab.* loco illo nuper citato hac de re. Accidentia (inquit) propria neq; re, neq; cogitatione à subjectis suis separari queunt: non solum enim existere homo sine risibilitate non potest, sed neq; imaginari possumus hominem non esse risibilem; essentiam enim hominis insequitur risibilitas, quare cum hominem cogitamus, rem risibilem cogitemus necesse est. Igitur non possumus sine contradictione imaginari hominem non esse risibilem; possumus quidem considerare hominem non considerando risibilitatem; quod dicitur abstrahere, sed hoc est aliud separationis genus. Hæc ille, & verissimè. vult scilicet accidens proprium separari posse intellectu simplici sic vt intelligas aut consideres hominem non cogitando actu de risibilitate, sed non posse separari intellectu composito (vt vocant) ita vt cogites aliquem esse hominem, & tamen non risibilem, aut carentem risibilitate. Nam verè hoc implicat contradictionē, quia cum ais esse hominem, implicitè ais esse risibilem, cum risibilitas fluat ab essentia hominis. quare si dicas aut cogites esse hominem, & non risibilem, dicis implicitè esse risibilem, & non esse risibilem, aut esse hominem & non esse hominem.

Hęc (vt opinor) aut omnia sunt, aut certè potissima, quæ de accidente tradere debent Metaphysici. Nam ex istis quæ natura accidentis sit,

quęq; illius proprietates intelligi poteſt. Si vltrà procedas ad particularia, putà ad Quantitatis, aut Qualitatis, aut Relationum, aliorumvè prædicamentorum tractationem, non eſt meo judicio progredi, ſed digredi. Nam etſi obiter, & ad illuſtrandum id de quo agit de iſtis verba facere liceat Metaphyſico, tamen ex profeſſo tractare iſta quod facit *Timpl. lib 6. & Keck. in comp. Metap.* ad ipſum non pertinet. Accidentia enim communia ad nullam ſcientiam pertinent. Quæ verò propria ſunt, illis ſcientijs relinquenda ſunt, vbi ſubjecta illorum accidentium tractantur.

Illud poſtremo loco obſervandum reſtat de hac 4ª parte Metaphyſicæ: non eſſe eam (ſicut nec ſuperiorem) ſcientiam propriè dictam; nam ſubjectum hujus partis eſt accidens, accidens verò vnivocum genus non eſt, nam de omnibus ſuis differentijs diviſivis certum eſt accidens prędicari. Cape quas lubet, aut ſubſtantiæ erunt (quod eſt impoſſibile, quia tum ſubſtantia eſſet de eſſentia accidentis) aut accidentia. Quare cum nullum Genus vnivocum de ſuis differentijs dici poſſit, reſtat accidens genus verum non eſſe, nec vnivocum eſſe, ſed æquivocum. At in omni propriè dicta ſcientia ſubjectum debet eſſe vnivocum. Deindè accidentis cum non ſit vnivocum, neq; ſunt vlla principia eſſentialia & vnivoca, neq; vllæ genuinæ proprietates, quæ de iſto ſubjecto demonſtrentur, Diſciplinam ergo voces licet aut doctrinam de accidente.

CAP.

CAP. V.

De ſubſtantia finita in communi.

DIximus de Accidente. Sequitur altera ſpecies Entis finiti, quæ eſt ſubſtantia finita. Addo autem (*finitam*) quia nomen ſubſtantiæ ſi generaliter ſumatur etiam Deo attribui poteſt: tribuit *Ariſt. lib. 2. Metap. cap. 7. & 8.* vocans Deum ſubſtantiam æternam, & ſubſtantiam primam: tribuit *Aug. lib. 5. de Trin. cap. 2.* Eſt (inquit) Deus ſine dubitatione ſubſtantia. tribuunt alij & meritò. Nam cum omne Ens ſit vel ſubſtantia, vel accidens, quia omne, ſine vlla exceptione, vel ineſt in ſubjecto, vel non ineſt: certè cum abſurdiſſimum ſit putare Deum in accidentium numero cenſendum eſſe, reſtat vt eum ſubſtantiam eſſe fateamur. Imò ſi ſubſtantiam definias Ens per ſe, nulli certè verius id nomen congruit quàm Deo. Eſt enim ille per ſe, non ſolùm quia nulli inhæret, (quod alijs ſubſtantijs omnibus cum ipſo commune eſt.) ſed etiam quia ſine alterius cujuſquam ope eſt: quo in ſenſu nulla alia ſubſtantia, neq; vllum aliud Ens dici poteſt Ens per ſe: quippe neq; vlla alia ſubſtantia eſt ſine accidentibus, neq; vllum accidens ſine ſubſtantia, neq; vel ſubſtantia, vel accidens ſine Deo, in quo movemur & ſumus, & ſine cujus continuo influxu, ne momento vno eſſemus. Sed nos in hoc de ſubſtantia tractatu de Deo agere non inſtituimus. 1° quia *Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 5.* expreſsè docet Deum non niſi abuſivè ſubſtantiam vocari, verè, quia ſivè ſubſtantiam à ſubſiſtendo deducas cum *Auguſt.* ſiue (vt rectiùs videtur) à ſubſtando, vtroq; modo notat id quod ſubeſt alteri,

cuiq;

cuiq; aliud tanquam ſuo ſubjecto ineſt. Iam Deus nulli accidenti ſubeſt, ſubſiſtit, aut ſubſtat, vt antè oſtendimus; & hac ipſa ratione *Aug.* indignum putat dicere, quod Deus ſubſiſtit, aut ſubſtat. *lib. ille 7°, cap. 4.* & abuſivè idcircò ſubſtantiam vocari. Deindè nos de Deo eg mus in tractatu de Ente in finito, in quo propriè differt & primariò tam à ſubſtantijs finitis, quam ab accidentibus. Addo quod Deo dignior appellatio eſt Ens quàm ſubſtantia; (vtriq; *infiniti* vocem adjungas) idq; multis de cauſis Ens enim de Deo propriè dicitur, cum ipſius eſſe, id eſt, eſſentiam denotet. Subſtantia verò non niſi abuſivè, vt ex *Auguſt.* monuimus, qui etiam *lib. 5. de Trinit. cap. 2.* Deum melius appellari eſſentiam dicit quam ſubſtantiam; ab eo enim quod eſt eſſe, dicta eſt eſſentia, & quis magis eſt quam ille qui dixit *Ego ſum Qui ſum.* ita *Auguſt.* οὐσία verò nomen quod eſſentiam verius, quàm ſubſtantiam ſignificat (quamvis κατ' ἐξοχὴν ſubſtantia οὐσία Græcis vocetur, quia ſubſtantia magis propriè ens eſt quam accidens vt *Ariſt.* clarè aſſerit *lib. 7. Metap. cap. 1.* ſed rectius ὑπαρξία vocanda eſſet) οὐσία (inquam) nomen Deo rectius tribuitur, quia eſſe ipſi eſt eſſentia, vti poſt *Aug.* declarat rectè *Aquin. part. 1. q. 3. art. 4.* Deindè *Damaſcenus lib. 1. Orth. fid. cap. 12. & Aquin p. 1. q. 13. art 11.* diſertè docent & probant nomen illud, *Qui eſt* (quod idem omninò eſt, ac ſi ens dicas) ex omnibus nominibus maximè propriè Deo convenire. & præter alias ſecunda illa *Aquinatis* ratio jure obſervanda eſt, quia quanto aliqua nomina ſunt minus determinata & magis communia, tanto magis propriè de Deo dicuntur. Iam nullum nomen vel fingi poteſt communius ente, nam hoc in ſe infinitum

nitum eſſentiæ pelagus (vt ait *Damaſc.*) comprehendit. Iure igitur mihi videor Deum vt primum Ens non ſub hac ſubſtantiæ, ſed ſub illa appellatione Entis infiniti tractâſſe. Quare quoties deinceps de ſubſtantia (niſi infinita aut quid ſimile addatur) verba facimus, Deum ea voce comprehendi nolumus, ſed ſolum ſubſtantiam finitam; nam hæc ſola ſub ente finito quod eſt diviſum, continetur. & hæc ſola propriè ſubſtantia vocanda eſt.

De ſubſtantiâ verò agendum 1° in communi, 2° in ſpeciali.

Subſtantia eſt Ens finitum per ſe ſubſiſtens, id eſt, nulli inhærens. Nam hoc ipſum denotant illę voces per ſe ſubſiſtere. In eo verò quod definitur eſſe Ens finitum, clarè diſtinguitur à Deo. In eo quòd non inhęret alteri, diſtinguitur ab Accidente. Nam vt Accidentis eſſe eſt ineſſe, ita ſubſtantiæ eſſentia eſt non ineſſe in ſubjecto inhærentiæ; licet inſit in ſubjecto prędicationis, vt animal in homine, vivens in animali.

Proprietas ſubſtantiæ in communi, non alia occurrit, quàm quod *finito modo per ſe ſubſiſtat ſine inhærentiâ in alio:* quæ ex ipſa definitione jam poſita liquet.

Hæc de ſubſtantia in communi dicta ſunt, quæ eſt 5ª pars Metaphyſicæ. Eſt autem hæc etiam pars Scientia non propriè, ſed largo modo dicta: nam ſubſtantia quæ hujus partis ſubjectum eſt, non eſt vnivocum genus, cum certum ſit eam de ſuis differentijs diviſivis prædicari. Nam illæ non ſunt accidentia, nec inhærent in ſubjecto, quia tum accidens eſſet de eſſentia ſubſtantiæ, ſed verè ſubſtantiæ ſunt eo ſenſu quo ſubſtantia hic definita

ta est, vt quæ comprehendit omne Ens finitum, quod per se existit, alterivè non inhæret. Quare cum substantia verum reale & vnivocum genus non sit, certè nec realia illius principia sunt, nec veræ & reales proprietates. vbi autem ista desunt, scientia propriè dicta ibi non est, vt sæpè monuimus. Disciplinam igitur hanc de substantia voces, non propriè scientiam.

CAP. VI.

De substantia incompleta.

Dictum est de substantia in communi, nunc de ea in speciali dicendum est. Est autem duplex, *Incompleta*, & *Completa*. de Incompletâ primò agendum est.

Substantia incompleta est substantia quæ accidenti substare, eiusve vltimum subiectum esse non potest. Tales sunt omnes differentiæ, seu formæ substantiales, vt sensibile, animatum.

In eo *quod substantia vocatur*, *differt ab omni accidente*: significaturq; quod subjecto nulli inhæret, id enim est substantia in sua ampla significatione, provt accidenti opponitur. *In eo quod non sit subiectum accidentium*, differt à substantiâ completâ, nam omnis completa substantia, eaq; sola est subjectum accidentium. Quare & hoc ipsum nomen substantiæ (quod propriè notat id quod subest, substat, aut subsistit alteri) non nisi abusivè & impropriè substantiæ incompletæ convenit. Sed si de re constet, de verbis non est contendendum.

Dicitur autem *incompleta substantia*, vel quia non completur ex vllis partibus vel essentialibus, vel subjectivis, vel quia non habet completam rationem

nem ſubſtantiæ, non eam (inquam) quæ propriè notatur per vocem ſubſtantiæ, quæ eſt (vt ex *Aug. lib. 7 de Trin. cap. 4. & 5.* monuimus) ſubſtare, aut ſubjectum eſſe accidenti.

Sed meritò hic occurrit dubium. nam anima rationalis, cum ſit forma hominis, eſt re idem cum differentia illius, aliter duæ eſſent vnius rei eſſentiæ, & formales partes, quod eſt impoſſibile; Eſt igitur ſubſtantia incompleta; at animam rationalem ſubſtare accidentibus, & eorum ſubjectum eſſe certum eſt, puta ſcientiæ & ignorantiæ, ſpecierum etiam intelligibilium & ſimilium. Quod ſi animam ſubſtantiam completam eſſe dicas, difficultas major occurrit, quia tum Genus de ſua differentia dicetur, quod repugnare naturæ differentiæ demonſtratum eſt *lib. de Prædicab. cap. de Differ. prop. 1ª.* et certè eandem ſubſtantiam dicere ſimul, & completam & incompletam videtur abſurdum. *Dub.*

Fatendum eſt animam rationalem non modò ſeparatam à corpore (in quo nulla dubitatio eſſe poteſt) ſed etiam dum corpori conjungitur eſſe verè ſubjectum vltimum accidentium; ſed negandum eſt vel rationale, vel animam rationalē (quæ re & eſſentiâ idem ſunt) eſſe incompletam ſubſtantiam. Eſt enim ſpiritus, & ſpecies completæ ſubſtantiæ, vti poſteà declarabimus. Neq; mirum videri debet ſi id quod eſt verè ſpecies quodq; ponitur ſub vna ſpecie, ſit forma & pars eſſentialis alterius, quod ſubijcitur contradiviſæ ſpeciei, ſicut anima eſt forma hominis. Nam etſi impoſſibile ſit vt vel vnum corpus ſit forma alterius corporis, quia in corporalitate pares ſunt: vel vnus ſpiritus ſit pars aut forma alterius ſpiritus, quia in ſpirituali naturâ pares ſunt; tamen vt ſpiritus ſit forma *Sol.*

cor-

corporis alicujus,non modò possibile est,sed propter naturam hominis quæ media est inter Angelos & Bruta,est omninò necessarium.Etenim cum Angelis communicat in eo quod spiritu, cum Brutis in eo quod corpore constat. Ad id verò quod est totius dubitationis fundamentum, quòd nullũ genus de formâ aut differentiâ suâ divisiuâ prædicari potest,ideòq; substantia completa quæ genus est vnivocum,de animâ rationali quæ est forma,& idem cum differentia hominis non dicitur, respondendum est. Nullum Genus de vlla differentia aut forma,quæ tantummodo forma est vel differentia prædicari posse, omnis enim talis est incompleta substantia,& de nullâ incompletâ substantiâ,Genus summum , quod est completa substantia prædicari potest : tum enim sequeretur idẽ esse & completam & incompletam substantiam,& esse subjectum vltimum accidentium, simulq; non esse eorum subjectum. Quia verò anima rationalis non est tantummodò forma aut differentia,sed simul etiam est species,verè & directè subjecta summo generi,de eâ,licet sit forma, summum Genus, quod est completa substantia verè dici & prædicari potest,imò etiam debet. Hoc eodem modo explicandæ sunt aliæ cõplures regulæ, vt quòd omnis forma,seu differentia substantialis sit naturæ simplicis,non compositæ : quòd nulla differentia sit aut esse potest species; quòd nullius differentię sit differentia; quòd omnis differentia sit collateraliter in serie prædicamentali, nulla verò directè; Hæ & aliæ similes regulæ intelligendæ sunt de ijs formis & differentijs , quæ tántummodò formæ aut differentiæ sunt, non etiam species ; Tales autem sunt omnes omninò formæ & differentiæ

rentiæ ſubſtantiales præter animam rationalem; Ad hanc ſi illas aut ſimiles regulas accommodes, fallant.

Proprietates ſubſtantiæ incompletæ ſunt hæ.

1ª *Omnis ſolaq; ſubſtantia incompleta eſt pars formalis alicuius ſubſtantiæ completæ.* Patet ex antedictis, nam omnis talis ſubſtantia eſt differentia ſubſtantialis, (aut forma ei correſpondens) omnis autem differentia ſubſtantialis conſtituit aliquam ſpeciem ſubſtantiæ completæ, quare non poteſt eſſe dubium quin omnis ſubſtantia incompleta ſit eſſentialis pars ſuæ ſpeciei. Materialis autem pars eſſe non poteſt, quia genus reſpondet materiæ, vt rectè Porphyr. *cap.* 8 monet, quare erit pars formalis.

2ª *Omnis ſolaq; ſubſtantia incompleta eſt fons & cauſa efficiens vel immediatè vel mediatè omnium proprietatum quæ conveniunt illi ſpeciei quam conſtituit.* Patet, quia omnes tales proprietates fluunt ab eſſentia ſuorum ſubjectorum, vt ante *cap.* 5. dictum eſt. Nam eſſentiam ſubjecti conſequuntur. Fluunt igitur vel à genere, vel à differentia. A genere manare non poſſunt, quia tum ſicut genus illud eſt commune omnibus ſuis ſpeciebus, ita eſſent etiam proprietates ſpecierum, at tum non eſſent proprietates ſpecierum, ſed generis: fluunt autem illæ proprietates à differentia, quia differentia ſeu forma non eſt efficiens earum per Phyſicam actionem, ſed per emanationem, vt natura ſolis, lucis, aut luminis.

3ª. *Omnis ſolaq; ſubſtantia incompleta, vt nudè conſideratur, ſeu abſtrahitur ab exiſtentiâ hic & nunc, conſtituit ſpeciem ſubſtantialem; vt verò conſideratur cum exiſtentiâ hic & nunc conſtituit individuum ſubſtantia-*

le,

le, estq; verum ac proximum principium individuationâ, vel proxima causa quare aliquid est hoc. Hoc ex eo liquet, quia nullum accidens esse potest tale principium individui substantialis, quippe individuum illud cum sit substantia & subjectum, est naturâ prius quovis accidente quod ipsi inhæret. Quare principium individuationis erit essentialis pars individui: vel ergò materia vel forma. Materia esse non potest, cum illa non det actum rei, nec sit actus: erit igitur forma & differentia substantialis. Iam quod vna & eadem forma, seu differentia, vno modo considerata constituat speciem, alio modo individuum, hinc certissimè liquet, quia si esset vna forma quę constituit speciem, putà hominem, & alia distincta forma, quæ constituit individuum, putà *Socratem*, necessariò sequeretur in *Socrate* & quovis homine, duas esse distinctas realiter animas rationales, vna quâ sit & constituitur homo, & in quâ convenit essentialiter cum *Platone*, alia quâ sit & constituitur *Socrates*, vel hic homo, per quam essentialiter differt à *Platone*. At hoc absurdissimum est, & vt impium dictu in *Conc. generali 8. act. 10. cap. 10.* meritò damnatur, vbi duas animas dicenti in homine esse *Anathema* dicunt. Intelligunt autem duas animas rationales, vt ex actis illius Concilij perspicuum est. Anima igitur rationalis vnica est in *Socrate*, quare cum ille sit & homo, & hic homo, liquidò sequitur illâ eadem animâ vno modo consideratâ, putà vt abstrahitur ab existentiâ hic & nunc, dici & constitui hominem, at alio modo putà cum existentia hic & nunc consideratâ dici & constitui hunc hominem. Multus est in explicatione hujus quæstionis *Pet. Fonseca in suis Commen. in lib. 5. Metap. cap. 6. q. 1². 2¹.* vsq; ad sextam

ſextam, fatigat ille & ſe & Lectorem, nec tamen nodum ſolvit, neq; rem clarè expedit. Doctiſſimè omnium tractat hanc rem *Jac. Zab. in ſuo lib. de Conſt. Individui*, quem vt legas diligenter, hortor, & ſuadeo. Nos hic non plura addemus, quia in tractatione noſtrâ de Prædicab. *ca.* de ſpecie, fuſiùs & diligentiùs rem iſtam expendimus.

Hæc ſunt quæ de ſubſtantiâ incompletâ tradit metaphyſicus, neq; ab eo plura expectes. Cur enim facias? Quid ſit, & quæ ſint illius propria vides, nec de vllo ſubjecto plura in vlla ſcientia tractanda ſunt. Quare quod *Timpl. lib.* 4. ſuæ *Metap. cap.* 5. ad particulares formas deſcendit, agens tum de inanimâ forma, tum de animâ, & indè adhuc dimittit ſe ad tractationem animæ vegetantis, ſentientis, & rationalis, longè tranſgreditur metas hujus ſcientiæ. Satis eſt Metaphyſico quid ſit incompleta ſubſtantia, & quid illi proprium declaraſſe, ſed particulares incompletæ ſubſtantiæ ad illas ſcientias referendæ ſunt, in quibus ſpecies illæ quas conſtituunt, tractantur.

Longè verò fœdius in eo erratur, quod eſſentiam hujus ſubſtantiæ incompletæ (formam ſubſtantialem ille vocat) explicans, definit eam eſſe ſpiritum: *lib.* 4. *ſuæ Metap. cap.* 5 Spiritum (inquam) talem qui eſt ſpecies ſubjecta ſubſtantiæ, & contradiviſa corpori: quiq; eſt genus Angeli & formę. Sic enim *lib. eod. cap.* 4. ait, ſubſtantia creata eſt vel ſpiritus, vel corpus: Spiritus eſt vel Angelus, vel forma ſubſtantialis: forma ſubſtantialis eſt vel Natura, id eſt, forma inanimata, vel anima. Tu cave (Lector) nam multæ hic ſalebræ, quas niſi vites, certum naufragium. Monuiſſe mihi ſatis ſit; nam ſi vt refellam expectes, dico cum *Hieronymo*,

recitasse ista, refutasse est.

Postremo loco monendus es, nec istam sextam partem Metaphysicæ scientiam propriè dictam esse: Subjectum in ea, neq; genus est, neq; species. Nam si esset, omnes differentiæ substantiales verè species essent, & composita, ita esset differentiæ differentia in infinitum. Quod si subjectum hujus scientiæ, nec sit genus verum, nec species, certè neq; proprietates vllas propriè dictas à suâ essentiâ, aut principijs essentialibus fluentes habere potest. Neutro itaq; respectu scientia propriè vocanda est. Disciplinam de substantia incompleta rectè vocare potes, & debes. De qua hæc dicta sufficient.

CAP. VII.

De substantia completa.

Diximus de substantia incompleta: sequitur completa; quæ considerandæ est 1° in communi, 2° in speciali.

Substantia completa est substantia quæ accidentibus subsitat, vt eorum vltimum subiectum. Nam in hoc differt tam à substantia incompleta, quam à nonnullis accidentibus. etenim quædam accidentia subjecta sunt accidentium, vt quantitas coloris, figuræ & similium, sed nullum accidens est vltimum subjectum vllius accidentis, cum etiam ipsum indigeat vlteriori subjecto, vocatur verò subjectum vltimatum non vltimum.

Est autem ea, quam posuimus, descriptio substantiæ, non genuina definitio: Nam definitio propriè dicta ex duabus partibus constat materia & forma, seu eis quæ analogicè istis respondent,

vt

vt apertè docet *Ariſt.* 8. *Metap. cap.* 3. quare ſi ſubſtantia iſtas partes ſubſtantiales haberet, eſſet ipſa compoſita ex partibus eſſentialibus, & ſic prius & ſuperius genus vnivocum haberet. At ſubſtantia completa, de quâ hic agimus, eſt primum, & ſummum genus vnivocum. Summa autem genera ſimplicia ſunt, vti etiam omnes differentiæ eſſentiales. Simplicia (inquam) ſunt, ſed non vt Deus. Ille ita ſimplex eſt, vt neq; habeat compoſitionem ex partibus eſſentialibus, neq; ex partibus ſubjectivis, neq; ex ſubſtantia & accidente. (vt antè probatum fuit, *cap.* 2. *alt.* 7.) at ſubſtantia completa, vt & omnia ſumma genera, partes habent ſubjectivas, licet non eſſentiales: & admittunt omnes ſubſtantiæ completæ accidentia, ſic vt in eis compoſitio ex ſubjecto & accidente ſit. Quare Deus ſimpliciter ſimplex eſt. Alia ita ſimplicia vocantur, vt ſuo modo, & vt eorum natura poſtulat atq; admittit, ſimplicia vocentur.

Atq; ex hoc vlterius conſequitur neq; ſubſtantiam completam quæ eſt ſummum Genus, neque vllum omninò ſummum Genus poſſe per aliquâ genuinam & eſſentialem differentiam ab alijs differre & diſtingui. Nam tales differentias iſta non habent: Differunt ſeipſis, ſeu ſimplicibus ſuis eſſentijs. Vti etiam de differentijs eſſentialibus dicendum eſt.

Subſtantia porrò completa de qua nunc agimus cum ſit ipſum ſummum genus in prædicamento ſubſtantiæ, eſt planè primum vnivocum prædicatum, ſeu verum reale ac vniuocum genus quod in Metaphyſica ſcientia tractatur. De qua dignum eſt obſervatione quod re, naturâ atq; eſ-

sentia est idem omninò cum materia prima, cujus apud Physicos tam frequens est mentio: ideòque sicut substantia, ita materia prima reipsa ac verè est summum genus in prædicamento substantiæ. Veritatem hanc ex parte vidit agnovitq; *Ioc. Zab.* qui *lib. 2. de materia prima cap. 17 & 18.* probat materiam primam esse summum genus in prædicamento substantiæ: Sed in eo graviter errat, quod materiam hanc primam corpus esse existimat, idemq; omninò re & essentiâ cum corpore, imò cum corpore crudo. Quod ipsum corpus, ipse summum genus esse putavit. vtrumq; horum longè à veritate abesse posteà clarissimè liquebit. Materiam, verò primam & substantiam completam quæ est summum genus, re & essentia vnum idéq; esse tribus argumentis ejsq; firmissimis demonstrari potest.

Primum est, corpus qua corpus constat ex duabus partibus essentialibus, nempe materiâ primâ & formâ. Docet hoc clarè *Arist. lib. 2. de anima cap. 1.* vbi ait tertium genus substantiæ (vult autem corpus, vt verba sequentia demonstrant) constare ex materiâ & forma. Agnoscunt idem omnes rectè Philosophantes: qui corpus in communi, ideò subjectum statuunt scientiæ Physicæ quia in ea, & ejus principia traduntur, nempe materia & forma, & affectiones ex illis principijs fluentes. Iam vnius rei vna tantum est essentia, vt non solùm ratio ipsa docet, sed *Arist.* quoq; *lib. 6. Top. cap 4.* hoc ipsum expressè ac verè tradit. Certum autem est substantiam quæ est summum genus, esse vnam partem essentialem corporis, quare erit aut eadem pars essentialis cum materia prima, aut cum forma; nam plures partes essentiales corpus neq; habet,

neq;

neq; habere poteſt. Eandem eſſe cum forma impoſſibile eſt, nam forma corporis ſoli corpori cõvenit & cum eo convertitur, at ſubſtantia convenit non ſolum corpori ſed ſpiritui, & forma differentiæ reſpondet, Genus materiæ vt ex *Porphyr.* didicimus. Quare neceſſe eſt vt ſubſtantia quæ genus corporis eſt, ſit re & eſſentia eadem omninò cum materia prima.

Altera ratio ex definitione illa materiæ primæ petitur, quam ponit *Ariſt.* 1. *Phyſ. cap.* 9. materia eſt primum vniuſcu juſq; (corporis nempe) ſubjectum ex quo quippiam fit, & in quod vltimo corrumpitur, id eſt, reſolvitur. Iam primum ex quo vllum corpus fit eſt ſubſtantia quæ eſt ſummum genus. Nam ante ipſum nullum Ens dari aut inveniri poteſt ex quo corpus eſſentialiter fiat, & ſi reſolvas mente vel *Socratem* vel lapidem aut vllum corpus in ſua principia ex quibus eſſentialiter conſtat, vltimum in genere cauſæ materialis (ea enim per *ex* notatur) in quo ſiſtendum eſt, erit ſubſtantia quæ eſt ſummum genus, nam ſupra aut ante ipſum nullum eſt reale & eſſentiale prædicatum ex quo corpus fiat. Sequitur ergo ſubſtantiam quæ eſt ſummum genus, eſſe idem omninò re & eſſentiâ cum materia prima, quia hoc vtriq; convenit, vt corpus omne ex eis primò fiat, & in ea vltimò reſolvatur.

Tertia ratio ſumitur ab eſſentia ſubſtantiæ quę eſt ſummum genus; Ea vt ante diximus, eſt ſubſtare ſeu eſſe ſubjectum cui accidentia inhærent. Hoc autem proprijſſimè materiæ primæ convenit. Id enim veriſſimè ſubjectum eſt vltimum cui omnes formæ tam ſubſtantiales quàm accidentales inſunt. Vnde à *Platone* vocatur receptaculum,

annuente etiam *Arist. lib. 4. Phys. cap. 2.* & ab *Aqu. part. 1. q. 3. art. 2.* vocatur primum subjectũ substans. Quid verò hoc aliud est aut esse potest quam substantia completa, quæ definitur esse id quod substat accidentibus? Etiam & ratio hoc evincit. Nam materia 1ª quatenus est talis, habet vniversalem potentiam recipiendi omnes formas. Ista autem potẽtia accidens est: substat ergo materia huic accidenti quod ei vt subjecto suo proprio inhæret. Vtraq; propositio diserte à *Zab:* ponitur & cõfirmatur *lib. 1. de mat. 1ª cap. 11.* Potentia (inquit) ista est accidens, & est essentialis materiæ primæ, non vt essentiam ejus constituens, sed vt essentiam ejus consequens, sicut risibile dicitur esse essentiale homini. Cum igitur materia prima sit verè & propriè subjectum accidentium, cumq; hæc sit ipsa natura & essentia substantiæ quæ est summum genus, necessariò concedendum est, vel materiam primam esse idem planè re ac naturâ cum substãtia quę est summum genus, vel esse speciem ipsius, at speciem substantiæ eam esse impossibile est; quia tum haberet compositionem ex partibus essentialibus, est autem simplicis naturæ vt omnes fatentur: imò haberet priorem materiam, nempe suum genus, & tum non esset materia prima: Restat igitur eam esse re & essentia illam ipsam substantiam quæ est summum genus. Possit hoc alio modo etiam sic vrgeri. Certum est materiam primam esse substantiam quia non inest in vllo subjecto inhærentiæ, omnis autem substantia (loquor de finitâ) vel est incompleta vel completa. Materiam dicere incompletam nemo jure potest: cum substantia incompleta non possit esse subjectum accidentis vllius, materia autem est, vt nuper probavimus.

bavimus. Eſt igitur ſubſtãtia completa. Iam omnis ſubſtantia completa vel eſt ipſum ſummum genus, vel ſpecies illius, puta vel ſpiritus vel corpus; at materia prima neq; corpus eſt, cum corpus conſtet ex materia priori, vt *Ariſt.* docet *lib.* 2°. *de Ani. cap.* 1. at primâ materiâ prior materia nè fingi poteſt: Spiritum vocare abſurdiſſimum eſt, quia tum ex ſpiritu conſtaret omne corpus, nam ex materia prima fit & conſtat omne corpus. Relinquitur ergo materiam 1ᵃᵐ neq; eſſe, neq; eſſe poſſe vllam aliam ſubſtantiam completam quam illam ipſam quæ eſt ſummum Genus.

Sed dubitatio duplex hic occurrit, prior eſt hæc ſi materia prima & ſubſtantia quæ eſt ſummum genus ſint vnum & idem, tum ſicut ſubſtantia prędicatur de animali & homine, itidem etiam prædicabitur de eiſdem materia prima, (Nam quæ re eadem ſunt de eiſdem omninò prædicantur.) & tum non minus verè dicemus homo eſt materia prima, quam homo eſt ſubſtantia. *Dub.*

Reſpondeo primum, ſi hæc ratio ſatis virium habeat ad probandum materiam non eſſe ſummum genus, quomodò non refellet poſitionem *Zabarellæ*, qui hoc aſſerit? Nam ſicut ſubſtantia dicitur de homine, itidem & corpus, & tamen de homine non verè dicitur materia prima, etſi ponatur idem re cum corpore (vt putat *Zab.*) ſicut non dicitur, ſi ponatur idem re cum ſubſtantiâ, vt nos aſſe imus. Quare cum *Zabar.* iſtam objectionem non modò propoſuit *lib.* 2. *de mat.* 1ª. *cap.* 18. ſed rejecerit vt invalidam, nobis eodem jure idem facere licebit. Præterea differentiæ eſſentiales omnes re & natura eædem ſunt cum formis quibus reſpondent, vt verè *Fonſeca com. in lib.* 8. *Met. cap.* 3. *q.* 1 *ſect.* *Sol.*

1.*sect.*3.formæ(inquit) per quas essentiæ rerum constituuntur sunt differentiæ specificæ, non enim rationale est vna natura, & essentia hominis, & anima rationalis alia re distincta essentia ejusdem,quippe vnius rei vna est tantum essentia & vna formalis causa,vt ex *Arist.6.Top.cap.*4. monuimus.Neq; vt opinor quisquam de hac re vel dubitare potest.Iam rationale de homine verè dicitur,non sic anima rationalis.nam verè dicitur homo est rationale,non verè,homo est anima rationalis. Ex quo perspicuum est,ex eis quæ re & natura vnum idemq; sunt,vnum eorum de aliquo dici,nec tamen alterum. Aut si hoc non des, certè quocunq. modo istam objectionem solveris de rationali & anima rationali,eodem solui potest & debet etiam hæc de substantia & materia prima.

Quid mihi videatur quam brevi potero expediam.Primò non est dubium in substantijs æquè esse abstracta & concreta,atq; sunt in accidentibus: deinde abstractum & concretum re & naturâ idem esse in confesso est,differre verò in modo significandi. Nam abstractum notat naturam illam nudè & simpliciter sine connotatione suppositi aut subjecti in quo est,concretum verò eandem planè naturam ac essentiam notat, sed cum connotatione suppositi aut subjecti in quo est. Docet hoc perspicuè,*Aquin p.*1 *q.*39.*art.*4.*&* 5.Idem declarat *Fonseca in com.lib* 5.*Metaph.cap.*8.*q.*5.*sect.*10. Concretum inquit & abstractum sola operatione intellectus distingui verum est : & iterum in eund. *lib.cap.*6.*q.*6.*art.*2.distinctio (inquit) rationis est quæ sola operatione intellectus fit.Sic homo & humanitas in communi si præcisè sumatur : sic omnes omninò conceptus objectivi concreti & abstracti

ſtracti ſubſtantiarum communium, & quorumcunq, accidentium. Hæc ille, cui conſonat illud *Bell. lib. 2. de Chriſt. cap.* 8. homo (inquit) & humanitas ſunt vna res.

Etſi autem ſunt vnum re & naturâ concretum & abſtractum, tamen propter illam diſtinctionem rationis quam modò expoſui, fit vt multa de concretis dicantur quę de abſtractis dici non poſſunt, & vt de multis concreta dicantur de quibus abſtracta dici non poſſunt. Homo generat (exemplũ eſt *Bell* loco citato) non humanitas. Homo ridet, loquitur, ambulat, nõ humanitas. In divinis (Dent veniam Theologi) apertiſſimè hoc liquet. Deum paſſum mortuum dicimus & credimus, ſed ſi Deitatem paſſam fuiſſe dicas, incidis in illam *Appollinaris & Theopaſchitarum*, ſæpiſſimè & juſtiſſimè dãnatam *hæreſin*, quam anathemate digniſſimam judicavit *conc.* 2um *generale cap.* 1. Vis aliud exemplum? Quod Deus Deum generat dicimus & credimus, ſed deitatem generare deitatem, vel divinam eſſentiam generare eſſentiam dici non poteſt. Itidem & Deum genitum dicimus non Deitatem; Vt diſertè docent & probant tum *Aquin. p.* 1. *q.* 39. *art.* 5. tum *Magiſt. ſent. lib.* 1. *diſt.* 5. Et cum *Abbas Ioachim* circa annum à Chriſto 1200. (narrat hæc præter alios *Matth. Pariſ in hiſt. Ang. in Hen.* 2. *p.* 185.) librum hac de re contra *Petrum Lombardum* ſcripſiſſet, aſſerens divinam eſſentiam. 1. Deitatem & generare & generari, tàm liber quàm ſententia iſta *Ioachimi* vt hæretica damnata eſt, in *Conc. Lateran* 4. vt ex actis liquet *cap.* 2. & in *Decretal. lib.* 1 *Tit.* 1. *cap.* 2. Quod ſi nonnulli ex patribus aliter nõnunquam loqui videantur, monet *Aquinas* eos ad exprimendam vnitatem eſſentiæ vehementius loqui

qui quam proprietas loquutionis patiatur. Quin & vir doctissimus *Hier, Zanch.* vbi essentiam ab essentia communicari contendit, fatetur se in eo improprie loqui, & multus est in mollienda vel potius excusanda improprietate illius phraseos, *lib. 8. de trib. Eloh. cap. 1.* Iam vt multa dicuntur de concretis, quæ de abstractis non dicuntur, itidem de multis concreta prædicantur, de quibus abstracta prædicari non possunt. *Socratem* verè dices esse hominem, animal, vivens, & corpus; at esse humanitatem, animalitatem, vitam aut corporalitatem non verè dices. Cujus ratio est ista quam dat *Aquin. p. 3. q. 17. art. 1.* quia natura vel essentia prout in abstracto consideratur de nullo supposito potest verè prædicari, nisi in *Deo*, in quo non differt quod est, & quo est. At hinc ille ibidem rectè ait, quod verè dicere possumus *Christus seu Deus est homo*, sed quod *Deus* sit *humanitas* vel *humana natura* non verè dicas: quia humana natura (cum sit abstractum) non est nata prædicari de suo supposito. Sed sisto hic, neq; ista vel attigissem, nisi vt luce clarius demonstrarem, quòd licet abstractum & concretum sint re & essentia vnum idemq;, tamen sæpissimè evenire, vt de aliquibus vnum dicatur, de quibus alterum dici non possit.

Iam si hæc ad propositam objectionem accommodentur videbis eam eneruem esse. Rationale omneſq; differentiæ substantiales quia sunt concreta, & connotant naturam vt suppositis suis cõvenientem, de eisdem in recto casu prædicantur. Anima autem rationalis & formæ illis differentijs respondentes, quia eandem naturam nudè & in se sine connotatione subjectorum quibus insunt significant, ideò non in recto sed in obliquo casu

de

de eis prædicantur, ſic vt dicamus homo conſtat ex anima rationali. Idem planè dicendum eſt de homine & humanitate, de animali & animalitate, deq; omnibus alijs tam generibus quam ſpeciebus ſubſtantialibus. Quid hoc, inquies, ad materiam & ſubſtantiam quæ eſt ſummum genus? plurimum ſanè. Nam materia prima ſeu ſubſtantialitas eſt verè abſtractum, concretum verò quoad rem materiæ, eſt ſubſtantia: quoad rem & vocem eſt materiale, ſeu habens materiam. Et ſicut cuicunq; ineſt ſubſtantialitas eidem ineſt materia prima (iſta enim idem omninò ſunt) ita de quocunq; in recto caſu prædicatur ſubſtantia, de eodem in recto caſu prædicatur materiale, aut habens materiam. Ipſa autem materia ſicut ſubſtantialitas non in recto ſed in obliquo caſu de eodem prædicatur, ita vt dicas omne materiale ſeu omnis ſubſtantia conſtat ex materia prima ſeu ex ſubſtantialitate. In idem verò recidit reſponſum *Zabarellæ* ad hanc objectionem. Ea hæc eſt, corpus ſeu materia prima (quæ ipſi idem ſonant) ſumuntur vel per modum partis, non generis, & tum de animali aut homine neutrum prædicatur, vel per modum totius poteſtativi ſeu vniverſalis, & ſic de animali & homine vtrumq; prædicatur. Quod idem de materia prima & ſubſtantia ſimiliter ac pari jure dicendum eſt. Sed niſi fallor hæc illius reſponſio & minus plena & magis obſcura eſt, vtrouis autem modo (tu quemvis accipe) dubitatio tota ſolvitur.

Altera dubitatio eſt hæc: Si materia prima ſit idem re ac natura cum ſubſtantia quæ eſt ſummũ genus, tum ſicut ſubſtantia ineſt & convenit angelis, animabus, & omnibus ſpiritibus & incorporeis ſubſtantijs, itidem & materiam primam illis omnibus *Dub.*

bus ineſſe & cõvenire neceſse eſt, ideòq; ſicut ſunt eſsentialiter ſubſtantiæ; ita erunt eſsentialiter materiales: quod ab omnibus pro paradoxo habetur, cum Angeli & animæ rationales vbique ſubſtantiæ immateriales appellentur.

Sol. Ad ſolvendum hoc dubiũ, ſi obſerves hanc diſtinctionẽ non poteris errare. Materiale ſumitur dupliciter. 1o vulgariter, ſed impropriè & abuſivè pro corporeo, ſeu pro eo quod quantũ eſt & extenſũ ſecundũ longũ, latum, & profundum; quo ſenſu corpora ſolummodò materialia ſunt, & materiam habent, (i.) corporalitatẽ. Secũdò ſumitur propriè, ſed non vulgariter pro ſubſtãtiali, ſeu pro eo quod naturã habet ſubſtantialẽ, per quam accidentibus ſubſtare poteſt: atq; hoc ſenſu (qui verus eſt, & genuinus iſtius vocis) ſpiritus omnes, Angeli, animęq; rationales tam verè materiales ſunt, quam vlla corpora, quia materiam, id eſt, ſubſtantialitatem, ſeu vim ſubſtãdi accidentibus æquè habent. Hoc enim ſenſu ſolus Deus immaterialis eſt, vt *Damaſc. lib. 2. orthod. fidei. ca. 3.* dicit μόνον γὰρ ἄντως ἄϋλον τὸ θεῖον ἐστι. Sola divinitas immaterialis eſt. prẽter Deũ omnia alia (de ſubſtantijs loquor) materialia; quia naturã habent ejuſmodi, vt accidentibus ſubſtare poſſint.

Neq; verò aut novum hoc putandum eſt aut paradoxon. Tenuit hanc ſententiam (quod Angeli ſint materiales, vel compoſiti ex materia prima, & formâ quadã ſpirituali) antè 300. *annos Avicembro* in libro fontis vitę, vt teſtatur *Aqu. p. 1. q. 50. art. 2.* idq; ex eo probat. quia in ſubſtãtia incorporea, intellectus apprehẽdit aliquod per quod diſtinguitur à ſubſtantia corporea, & aliquod per quod cum ea cõvenit, vndè concludit illud per quod differt eſſe quaſi formã, & illud in quo cõvenit quodq; ſubjicitur

citur illi formæ eſſe ejus materiã, ex quo conſequitur materiã eandẽ (quoad eſſentiã) eſſe ſpiritualiũ & corporaliũ. Hanc illius rationẽ (ſanè validiſſimã) proponit *Aquinas*, & fruſtrà refellere conatur. Ruit enim in abſurdiſſimã ſententiã, quod in rebus ſpiritualibus non ſit aliud determinans, & aliud determinatũ. Quaſi verò ſubſtantia quæ eſt determinata ad hanc ſpeciẽ, & differentia quæ determinat genus illud ad ſpiritũ, & diſtinguit à corpore, non ſint aliud & aliud, ſed planè vnum idemq;. Quod licet *Aquinas* ibidẽ & *art.* 4. diſertè aſſerit, vt Angelos eſſe immateriales tueri poſſit, arbitror tamen neminẽ ſanæ mentis velle tam futili opinioni ſuffragari. Quid eſt enim ineptius quã putare (quòd ille verbis diſertis aſſerit) genus & differentiam nõ accipi ſecundũ aliud & aliud, ſed ſecundũ vnum & idem, aut differentiã non eſſe aliã naturã a genere. Sic enim ſine dubio duæ ſpecies ſecundùm vnũ & idem, eſſentialiter cõvenirent, & eſſentialiter etiam differrent. Hanc eandem ſententiã, pluribus rationibus defendit *Bonaventura doctor Seraphicus*, cum *Aquinas* ſolum *Angelicus* audiat, (*ordo* autẽ *Seraphicus*, *angelico* 6 aut 7 gradibus ſuperior eſt, vel *Aquinate* judice) *Bonaventura* (inquã) vir tantã ſcientiæ illuminatione præditus, vt *Alex. Halenſis* de eo dicere ſolitus ſit; *Adamũ in eo non peccaſſe, quaſi illius mens nullis ab Adamo traductis* tenebris obſcurata fuerit, vt refert *Poſſev. in ſua Bibl. in Bonav.* Is in ſecũdo *lib ſent. diſt.* 3. *q.* 1 2. 3 poſt varias hinc indè rationes allatas, tandẽ cõcludit, quòd illa poſitio eſt verior quæ dicit quòd in Angelis eſt compoſitio ex materia & forma, vlterius ait, quèd ij qui poſuerũt eandẽ materiã per eſſentiam (audi per eſſentiam, non per analogiã) in ſpiritualibus, & corporalibus. altius elevati ſunt, & melius judicarunt. Poſti emò

addit

addit quòd materia illa quæ vtrisq; (Angelis & corporibus) convenit, est vna & eadem numero, id est, essentia & natura, vt ipse se explicat. Et *lib. eodem d. ff. 18. q 1. nu. 33.* dicit quòd anima individuatur à proprijs principijs, materia scilicet & forma. Hæc ille. Claruit autem circa annum 1320. Docuit hoc idem *Damasc.* qui loco nuper citato Deum solum immaterialem esse, verissimè pronunciat. Si is solus immaterialis, Angeli igitur & animæ rationales materiales juxta *Damasc.* Vixit autem antè annos plus minus octingentos. *Augustinus* longè his doctior, antiquior q; (floruit *an. à Christo* 400.) *lib. 7. de Gen. ad lit. cap. 6.* ita ait. Si quiddam incommunicabile esset anima, nullo modo ejus quasi materiam quærere deberemus. Ecce in eo solo qui est incommunicabilis (talis est solus Deus) materia quærenda non est. Et infra, sic fortasse potuit & anima habere aliquam materiam pro suo genere spiritualem. In quem locum *Fr. Mar.* observat quòd mutabilitas animæ satis indicat eam habere aliquam materiam, additq; quod Theologi (vides quam celebres authores sunt, & patroni hujus sententiæ) ex eo *Aug.* loco colligunt, animam compositam esse ex spirituali materia & forma, & angelos eandem compositionem habere. Visne altius ascendamus? *Plato* (& ille divinus dictus) præter mundi opificem, nullas alias immateriales substantias esse sensit. ita *Fons. com. in lib. 12. Met. ca. 8.* Quid si & *Aristoteli* hæc mens? certè ex ipsius verbis hoc evincitur clarissimè. Quæcunq; mutantur materiã habent omnia, ita ille 12. *Met. ca. 2.* Aut jam nega Angelos mutari, & animas, (quod si cor & animam habes, non facies) aut fatere hoc ex *Aristotelis* verbis consequi, eos mate-

materiam habere: & ſi Deum ſolum fateris immutabilem, fatere etiam ipſum ſolum eſſe immaterialem. Quæ eadem de ſubſtantia dici poſſunt. Nam vt materia, ita ſubſtantia eſt mutabilitatis omnis cauſa. Ideò enim mutabile aliquid eſt, quia capax accidentium eſt, & ideò eſt capax accidentium, quia eſt ſubſtantia, vimq; ſubſtandi accidentibus habet. Et quia Deus ſolus ſubſtantia talis non eſt, vt ſubſtare poſſit accidentibus, ideò ille ſolus immutabilis. Reliquæ omnes ſubſtantiæ quia ſubſtare poſſunt accidentibus, ideò mutabiles ſunt. Declarat hoc iterum *Ariſt. lib. 9. Metap. cap. 1.* vbi indicat vnumquodq; quod patitur, ideò pati, quia materiam quæ eſt patiendi principium, habet. Vndè *Zab. lib. 1.* de mat. *cap. 11.* tractans illa verba *Ariſt.* ait, eum ponere hoc pro fundamento, quod pati eſt propter materiam, & quod omne patiens ideò patitur, quia materiam habet. Dic nunc clarè, an non Angeli & animæ patiuntur? Nonne alij gaudio & lætitia afficiuntur? alij dolore, mœrore, & cruciatu torquentur? Quod ſi patiuntur certè ex *Ariſtotelis* mente, vel *Zabarella* judice, materiam habent; quam niſi haberent, pati non poſſent, ea enim fons eſt & radix omnis patibilitatis. *Zabarellæ* conſentit *Fonſ.* qui *in com.* in iſta verba, ſic ait, cum materia ſit primum principium mutabilitatis, ab eâ provenire docet *Ariſt.* vt omne id in quo ipſa exiſtat, ſit paſſibile & mutabile. Vides igitur ex *Ariſt.* mente, & *Angelos*, & *animas materiales* eſſe. Quòd ſi alicubi eos immateriales vocet, (vocat autem *lib. 12. Metap cap. 6.* & alibi non rarò) nè putes eum ſui oblitum aut ſibi ipſi contradicere, non contradicit. Sed cum immateriales vocat, intelligit materiam quæ cum cor-

corrumpentibus qualitatibus conjuncta est; hæc eos vacare certum est, & hoc sensu verè immateriales sunt. Cum verè materiales esse docet, intelligit materiam quæ est communis essentia, & commune genus omnium subsistantiarum, spirituum simul & corporum, ex quo habent hoc vt substent accidentibus; vtq; mutari possint & pati, hanc materiam Angelos & animas habere nullibi negat *Arist.* imò hanc materiam illis inesse non solum docet locis citatis, sed ex eorum mutabilitate & patibilitate clarissimè atq; certissimè demonstrat.

Quin & *Aquinas* ipse pertinax hujus sententiæ oppugnator, ea tradit, ex quibus hoc quod volumus perspicuè certòq; consequatur. Nam *p.* 1. *q.* 103. *art.* 1°. *ad* 2. ita ait, In omnibus rebus creatis est aliquid stabile, ad minus materia prima, & aliquid ad motum pertinens. Ecce, in omnibus creatis, Ergo in Angelis & animabus, nisi illos creatos esse negare velis. *Et q* 50. *art.* 4. ait, Ea quæ conveniunt specie, & differunt numero convenire in formâ, sed distingui materialiter. Iam duas animas (etiam separatas) specie convenire & differre numero asserit planè, *p.* 1 *q.* 76. *art.* 2. *ad* 2. itidem & duos angelos specie convenire, & numero differre, vel invitus concedere debet, cum ipse statuit, *p.* 1. *q.* 50. *art.* 4. angelos differre, non naturâ, sed secundùm diversos gradus ejusdem naturæ intellectivæ. Erunt igitur omnes materiales si *Thomas* sibi constare velit. Adde huc quòd sententia ista *Aquinatis* quâ asseritur Angelos materiam non habere, inter articulos condemnatos recensetur à *Parisiensibus Theologis an.* 1226. qui excommunicant omnes qui docuerint aut defenderint eandem; & hunc errorem

ſem contrà fratrem *Thomam* condemnatum eſſe diſertè exprimunt, vt videre licet in cenſura ipſorum in fine *Magiſt. ſent. cap. 6. & 7.* Poſtremò hoc idem ex conſequenti & implicitè concedunt, etſi verbis negent, omnes rectè ſentientes Philoſophi. Agnoſcunt enim omnes, quòd ſine vllâ dubitatione agnoſcendum eſt, & omni vocis ac laterum cõtentione profitendum, aliquam eſſentiam communem eſſe ſpiritui & corpori; nam aliter ſpecies contradiviſæ ejuſdem generis eſſe non poſſent, ſicut ab *Aquinate* & alijs veriſſimè conceduntur. Tota autem eſſentia corporis eſt vel materia prima, vel forma, altera igitur harum convenit ſpiritui omni. Certum eſt autem formam corporis non eſſe communem ſpiritui, nam tum ſpiritus eſſet verè & eſſentialiter corpus, ideoq; quantus, extenſus, & diviſibilis, quæ abſurda ſunt. Relinquitur ergò naturam & eſſentiam illam quæ ſpiritui cum corpore communis eſt, nullam aliam eſſe aut eſſe poſſe, niſi materiam primam. Concludo itaq; ex tot tamq; perſpicuis rationibus ſimul & authoritatibus, ſpiritus omnes in ſua eſſentia non minus eſſe materiales quam ſunt ipſa corpora, ſi materiale ſumatur propriè pro eo quod eſt ſubſtantiale, vimq; ſubſtandi accidentibus habeat. Etenim vtrumq; tam corpus quam ſpiritus hoc habet ab vna & eadem vtriſq; communi eſſentia, nempè à materia prima, vt poſſit ſubſtare accidẽtibus. *Quod verò ſpiritus ſpiritualibus accidentibus* ſubſtet, habet id à propriâ eſſentia ſpiritus, ſicut corpus habet à ſuâ propriâ eſſentiâ vt ſubſtet accidentibus corporalibus, & animal ab eſſentia propria animalis, vt ſubſtet accidẽtibus ſenſitivis. & ſic in omnibus alijs.

Sequuntur proprietates ſubſtantiæ, quæ ſunt 4.

1ª. Est *tempus. Omnis substantia habet in se tempus quo mensuretur, & quicquid habet tempus in se vt ipsius vltimum subiectum est substantia.* Est autem tempus duratio successiva existentię rei. Dixi vt subjectum vltimum, quia substantiæ incompletæ, etiam motus, actiones, & omnia ferè accidentia, tempus habent, & eo mensurantur, sed non sunt vltima illius subjecta, hoc soli & omni substantiæ completæ convenit. Atq; hoc fluit ab ipsa essentia substantiæ. Nam quia illius essentia ac natura finita est, ideò non potest tota simul existere, sed successionem in sua essentia habere eam necesse est. Verissimè *Boetius lib.5 de conso. Phil. pros.6.* de finito omni ita ait, illud præsens à præteritis in futura procedit, crastinum nondum apprehendit, hesternum jam perdidit. *Deus* autem solus cum illius natura & essentia sit infinita, totam suam existentiam simul habet, & ab æterno in æternum habet. Ideòq; illius duratio successiva non est, sed æterna. Nam æternitas (definiente, & quidé verissimè *Boetio* loco citato) est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Dei vita interminabilis omni modo, perfecta etiam omni modo, illamq; vitã ita omni modo interminabilem & perfectam ita ille possidet, vt sit tota simul. Nam ei neq; futuri quicquã abest, (verba sunt *Boetij*) neq; præteriti fluxit, quod *Aug. lib.5. de Trinit. cap.16.* ita exprimit: apud Deum neq; præterita transierunt, & futura jam facta sunt: & clarius *lib.4. de Trinit. cap.1.* ait, In Deo principaliter & incommutabiliter sunt omnia simul, non solum quæ nunc sunt, sed quæ fuerunt, & quæ futura sunt. vbi tamen nec fuerunt, nec futura sunt, sed tantummodò sunt, & omnia vita sunt, & omnia vnum sunt, vel magis vnum est, & vna vita est,

eſt. Ita ille. Quare Deus ſolus æternus, vel veriùs ipſa æternitas eſt vt loquitur idem *Aug. lib. 5. de Trinit. cap.* 10. Aliorum omnium, quia finita ſunt, ideò finita & ſucceſſiva duratio eſt, quod tempus vocatur, & habere iſtam durationem, ſeu menſuram ſibi vt ſubjecto vltimo inhærentem verè proprium eſt ſubſtantiæ illius quę eſt ſummum genus, illi omni ſoliq; convenit.

Dices Angelos non tempore, ſed ævo menſurari, vt docet *Aquin p. 1. q* 10. *art. 5.* *Dub.*

Reſpondeo diſtinctionem illam ævi à tempore ſubtilem forte videri, ſed neq; neceſſariam, neq; veram eſſe. Durationes tantummodò duæ ſunt. *Æternitas* quæ eſt infinita duratio infiniti Entis, (id eſt, Dei.) Et *tempus*, quæ eſt finita duratio per prius & poſterius menſurans omnia ſucceſſiva, & eorum exiſtentiam. Iam cum Angelorum exiſtentia non ſit tota ſimul, ſed ſucceſſiva, profectò & ipſos, & eorum actiones omnes, & motus, non minus tempus menſurat, quam vlla alia. Diſtinguit verò *Aquinas* ævum ab iſtis hoc modo, quòd *æternitas* non habet prius & poſterius, neq; ea compatitur. *Tempus* habet & prius & poſterius. *Ævum* quidem non habet prius & poſterius, ſed tamen ea compatitur, vanè omninò: Nam exiſtentia tam cœli quam Angelorum, prius habet & poſterius. Etenim in iſta illud *Boetij* verè quadrat, craſtinum nondum apprehenderunt, & heſternũ jam perdiderunt. Quare cùm Angelos & cœlum ævo menſurari dicat *Aquinas*, certè perſpicuum eſt eum deceptum eſſe, dum *Ævum* non habere prius & poſterius, ſed eſſe totum ſimul definiat. Quis enim perſuadeat durationem totam angelorum & cœlorum ſimul eſſe? Si tota ſimul ſit (vt ille ait) *Sol.*

certè nec fuisse, nec futuros esse dici potest. Sed profectò in hoc, multisq; alijs indulsit sibi, suoq; ingenio *Aquinas* plus æquo, & illius famâ atq; nomine abducti alij in errores non paucos.

Dub. Dubitatio illa major multo est de tempore quod *Arist. 4. Phys.* illud inter affectiones propriàs corporis recenset, quare substantiæ in genere proprium non est, nec vlli nisi corpori convenit.

Sol. Respondeo tempus seu duratio successiua duplex est, vnum intrinsecum quod cuiq; substantiæ vt suo subjecto inest, & hoc fluit ab essentia substantiæ vt dictum est; alterum extrinsecum quod est constans quædam, evidens & perpetua mensura durationum omnium intrinsecarum aut partium saltem ipsarum. Iam nihil est ex omnibus quæ conspiciuntur & sensui apparent, quod diuturnius evidentius & constantius res quatuis particulares & earum existentiam ac durationem mensurare potest, quàm motus primi cœli, quem ex diurno motu solis cognoscimus. Ideò motus iste primi mobilis vel duratio potius ipsius, rectissimè pro extrinseca & publica aliarum rerum omnium mensurâ accipimus; Ideò hoc tempus, id est, durationem motus primi mobilis pro affectione corporis vel potius primi cœli rectè ponit *Arist. in 4. Phys.* Nos verò hic tempus prout à sensu sumimus cũ affectionem substantiæ in genere, illud esse dicimus. Neq; verò novum hoc videri cuiquam debet. Recenset hanc sententiam de tempore intrinseco inter celebres opiniones ante *Annos* 300. *Bonavent. in lib. 2. sent. dist. 2. q. 1. nu. 4.* vbi ait quosdã sensisse ipsum nunc (vult opinor durationem successivam) sequi essentiam materiæ primæ, & ideò sicut materia prima est in omnibus (Angelis simul & corpo-

corporibus) eadem per eſſentiam, ſic & nunc ſeu duratio temporis & ævi, eſt idem in omnibus per eſſentiam. Et hi poſuerunt quod omnis rei quidditas (puta quoad exiſtentiam) menſurâ eâdem per eſſentiam menſuratur. Sic ille, licet ipſe hanc opinionem non ſequatur. Ex recentioribus verò *Timp. lib. 1. ſuæ Metaph. cap. 5. q. 12.* & præcipuè *q. 15.* diſtinctionem hanc de tempore extrinſeco & intrinſeco non ſolum proponit & approbat, ſed pluribus rationibus confirmat, vereq; addit multos quia iſta diſtinguere ignorarunt, ſe in errorum inextricabiles labyrinthos congeſſiſſe. Huc etiam ſpectat illud *Fonſ. com. in lib. 5. Metaph. cap. 13. q. 11. ſect. 1.* vbi ait, revera multa numero tempora dari in rerum naturâ ſed tamen per antonomaſiam dici tempus eſſe in ſolo motu primi mobilis, quia ille eſt celeberrimus maximeq; ſibi conſtat.

2ª Eſt locus definitivus. *Omnis ſolaq; ſubſtantia completa per ſe loco definitur, vel eſt definitive in loco.* Dico per ſe, quia per accidens ſubſtantiæ incompletæ & accidentia loco definiuntur nempe gratia ſubſtantiarum quibus inſunt. Definitivè autem eſſe in loco eſt ita eſſe in hoc aut illo loco, vt ſimul & eodem tempore in alio non ſit, quod convenit omni tam ſpiritui quam corpori, fluitq; ab ipſa eſſentia ſubſtantiæ. nam quia finita eſt, ideò loco definiri ac finiri neceſſe eſt; etenim ſi loco non definiatur, infinita eſſet.

3ª Eſt mobilitas & quieſcibilitas. *Omnis ſolaq; ſubſtantia completa mobilis eſt, & quieſcibilis per ſe.* Dico *per ſe*, nam per accidens accidentia moueri poſſunt. Dico indefinitè mobilis & quieſcibilis, ſ. non autem mobilis naturaliter aut violenter, nam quod vtrouis modo moueri poſſit id ab ipſa ſimplici

naturâ ſubſtantiæ provenit. Sicut poſſe moveri Phyſicè & in loco Phyſico provenit à naturâ corporis, & poſſe moveri in loco ſpiritui proprio, provenit à naturâ ſpiritus, at ſimpliciter poſſe moveri localiter vel hoc vel illo modo, idq; vel naturaliter vel violenter provenit à naturâ ſubſtantiæ.

4ª Eſt mutabilitas. *Omnis ſolaq; completa ſubſtantia mutabilis eſt, ſeu capax mutationis vt illius vltimum ſubiectum.* Sequitur ex 3ª, nam ſi ſit mobilis, ſine dubio eſt mutabilis cum omnis motus ſit mutatio. Sed conſequitur etiam hoc immediatè ab ipſa eſſentia ſubſtantiæ completæ nam quia eſt talis vt ſubſtet accidentibus, & accidentia adeſſe poſſunt & abeſſe, ideò neceſſariò ſequitur eam eſſe mutabilem. Sequitur etiam ex primâ, nam omnis ſubſtantia tempore menſuratur, & habet tempus, in tempore autem eſt prius & poſterius, quare prior pars temporis recedit, poſterior ſuccedit, ideòq; omnis ſubſtantia non modò mutabilis eſt, ſed qualibet hora & momento mutatur reſpectu diverſarum partium ſuæ durationis. Nam in eo verè *Aqui p.1.q.10.art.5.* dicere aliquid habere prius & poſterius & non habere innovationem & veterationem implicat contradictionem. Atq; hæc quarta proprietas ea eſt quam *Ariſt. cap. de ſub.* ait eſſe maximè proprium ſubſtantiæ, vt cum ſui mutatione ſit capax contrariorum, id eſt oppoſitorum accidentium ſibi inuicem ſuccedentium.

Atq; hæc de ſubſtantia completa in genere, de ea (inquam) quæ non ſolum genus vnivocum eſt, ſed ſummum genus in prædicamento ſubſtantiæ, quæq; eſt ſubiectum hujus ſeptimæ partis Metaphyſicæ. Hæc verò pars non modò verè & propriè ſcientia eſt, ſed etiam eſt prima omnium diſciplina-

ciplinarum, quæ propriè scientia vocanda est. Nã etsi subjectum hujus partis (quod est substantia) nõ habeat principia vlla essentialia, cum sit genus summum, habet tamen essentiam simplicem, à qua fluunt reales & propriè dictę affectiones, quæ de eo demonstrentur. Earum aliquot nos proposuimus, si alias invenire quis poterit, eas vt addat per me licet.

CAP. VIII.
De Spiritu.

Diximus de substantia completa in genere, sequuntur nunc species ipsius, quæ sunt spiritus & corpus. De spiritu agendum 1º in genere vbi quid omni spiritui qua est spiritus conveniat declarandum est, 2º in specie vbi de illius speciebus.

Spiritus est substantia intellectualis, incorporea. Genus ipsius est *substantia*. *Intellectualis & incorporea* sunt differentiæ. Nam per hæc conjuncta ab omni alia substantia distinguitur; quod siquis reperiat vnum aliquid essentiale quod possit eum à corpore distinguere, indicet, et amplector. Illud verò meminerit spiritum cum sit vera et genuina species ex duabus realiter distinctis partibus constituti et componi. Nam quod ante monui *cap.* 7. nihil dici absurdius in Philosophia potest quam quod *Aqu:* confidenter affirit, *p.1 q.50. art.2.* quod in rebus immaterialibus (sic falso spiritus vocat) genus & differentia non accipitur secundum aliud & aliud, sed secundum vnum et idem, & ejusdem *q. art. 4.* quod differentia est nobilior genere sicut determinatum indeterminato, sed non sicut alia et alia natura. Heu! quantus hic errorum cumulus. Si

genus & differentia vna res & vna natura verè sint, tum sicut genus corporis est commune spiritui, itidem reipsa & differentia illius communis erit, & spiritus erit verè corpus, aut si differentia spiritus sit quoad naturam & essentiam idem cum genere, tum sicut corpori verè & essentialiter convenit genus spiritus, item verè & essentialiter conveniet illius differentia, & tum corpus erit verè spiritus, & quidlibet erit quodlibet si hoc concedatur. Sed hic verè evenit, vnô absurdo dato sequûtur mille.

Proprietates spiritus sunt hæ.

1ª *Omnis soluſq; spiritus facultatem seu potentiam naturalem habet intelligendi & ratiocinandi sine vllo phantasmate à sensibus recepto.* Sequitur hoc ex ipsa spiritus definitione fluitq; ab illius essentia, nam quia intellectualis est, ideo res intelligere potest & ratiocinari. Quia verò incorporeus est, certè phantasmata nulla à sensibus recipere potest. Et in hoc propriè differt rationale in Spiritu, à rationali in homine, vt à nobis fusius declaratum est, in libello nostro de prædicab: *cap* 5. vbi etiam abundè ostendimus vim illam ratiocinandi quæ inest spiritibus non esse solum intuitiuam vt *Tom.* docet *p.1.q* 58 *art.*3 *&* 4. sed verè ac propriè discursiuam, hic ista repetere noluimus.

2ª *Omnis soluſq; spiritus velle potest seu habet facultatem & potentiam naturalem volendi, tali nimirum voluntate quæ sequitur intellectum seiunctum à phantasmatibus sensitivis.* Sequitur ex priori. Nam velle nihil aliud est quam inclinari ad id quod ratio seu intellectus dictat esse bonum, & declinare ab eo quod ratio dictat esse malum. Qualis igitur ratio seu intellectus cujusquam est, talis est et voluntas.

Deus

Deus per essentiam intelligit, per essentiam igitur & vult. Imò vt intellectus ipsius ita & voluntas est ipsamet ejus essentia. Homo intelligit per phantasmata sensitiva, vult igitur ea voluntate quæ intellectum conjunctum cum phantasmatibus consequitur. Spiritus intelligit sine phantasmate omni sensitivo, vult igitur ea voluntate quæ intellectum à phantasmate sejunctum insequitur, vultq; ea quæ talis intellectus ratioq; dictat.

3ª *Spiritus omnis solusq; tali voluntate quam dixi libere, seu libero arbitrio vult quicquid vult.* Sequitur ex 2ª. Nullius enim voluntas nec Dei nec spirituum nec hominum nisi libera sit, voluntas esse dicivè potest. Sed hic observandum est libertatem duplicem esse. *Vna est libertas à coactione*, quando quod quis agit, non coactè agit; & hæc est prorsus essentialis voluntati quatenus est voluntas. Aliter enim si coactè quis aliquid facit, Noluntas est non voluntas. *Alia est libertas à necessitate*, quando quod quis liberè agit non est necessarium vt id agat. Hæc autem libertas à necessitate tribus modis accipi potest, 1º *quoad præscientiam divinam*, seu vt nõnulli vocant *fatum*, & hoc sensu nullius voluntas est, aut esse potest libera à necessitate. Nihil enim fit aut evenit nisi quod præscit Deus futurum esse. Illius autem præscientia falli non potest, quarè necessarium est vt id fiat, & impossibile est vt non fiat. Et tamen liberè fit. Certissimum enim est præscientiam non tollere aut minuere libertatem arbitrij vel in Deo ipso, vel in Angelis, vel in hominibus, quia etsi ille præscit ea (quæ fiunt aut eveniunt) futura esse, præscit tamen futura eo modo, quo fiunt aut eveniunt. Libera, liberè, contingentia, contingenter, necessaria, necessariò. Ita vnum

idemq;

idemq; fit & neceſſariò reſpectu præſcientiæ, & liberè reſpectu voluntatis, & contingenter reſpectu ſecundarum cauſarum. 2° *Quoad ſpecificationem* boni et mali, cum quis ita liberè quid agit in ſpecie boni, vt poſſit ſi velit contrarium facere in ſpecie mali; et hæc dicitur libertas contrarietatis. Talis fuit libertas tam in angelis quàm in hominibus in primo ipſorum creatione. Nam poterant alterutrum è contrarijs vel bonum vel malum eligere, atq; agere. Etiam eſt in hominibus renatis, nam poſſunt tam velle atq; agere bonum ex gratia, quàm velle et agere malum ex ſeſe. Libertas autem à neceſſitate in hoc ſenſu neq; eſt in Deo, neq; in angelis confirmatis in gratia, neq; in hominibus animabuſq; beatis, (non poſſunt enim hi agere aut velle malum ſed tantum bonum, et ita non ſunt liberi ad contrarietatem) neq; in dæmonibus obduratis in malitia, neq; in animabus hominibuſq; damnatis, neq; in hominibus in ſtatu corrupto et nondum renatis. Nulli enim horum poſſunt velle aut agere bonum, ſed tantum malũ. 3° *Quoad exercitium* hujus aut illius particularis, in illa ſpecie boni, vel mali, cum vel ille qui poteſt tantummodò bona velle et facere, tamen id bonum quod vult et facit, ita libere agit vt poſſit ſi velit non illud in particulari, ſed aliud bonum velle et agere, (vt Deus, Angeli boni et homines beati) vel ille qui poteſt tantummodò mala velle et facere, tamen id malum quod agit, ita liberè agit, vt poſſit ſi velit non particulare illud, ſed aliud malum agere. (vt dæmones et homines in ſtatu corrupto) et hæc dicitur libertas contradictionis. Quia qui ſic agit liber eſt ad hoc faciendum, vel non faciendum, licet non ſit liber ad faciendum

hoc

hoc vel contrarium. Summa eſt, voluntas cujuſq; libera eſt à coactione, & quoad exercitium ſeu contradictionem, ſed non omnis eſt libera quoad ſpecificationem, ſeu contrarietatem. Sed reprimo me: quodq; vel hæc dixerim, à Theologis venia poſtulanda eſt.

4ª *Omnis ſoluſq; ſpiritus poteſt ſpiritualiter bene agere aut malè.* Sequitur ex tertia. Nam qui agit bonum & liberè is benè, qui malum & liberè, is malè agit, & delinquit. Dixi autem poſſe agere benè aut malè. Nam potentia iſta agendi, à naturâ ipſorum fluit. Quod verò aliqui ipſorum tantummodò bona velint agantq;, ex gratia eſt, per quam confirmati ſunt in bono, ſic vt jam non poſſint (loquor de potentia propinqua) velle malum; quodq; alij tantummodò mala velint & faciant, id non ex naturâ ſuâ, ſed ex ipſorum malitia ac pravitate evenit.

5ª Eſt loquutio ſpiritualis; *Omnis ſoluſq; ſpiritus poteſt ſpiritualiter, ſeu ſpirituali modo loqui.* Patet ex definitione, quia cum ſit incorporea ſubſtantia nõ poteſt corporali modo vel intelligere, vel quæ intelligit alteri exprimere. Cum autem loqui nil aliud ſit quam conceptus ſuos alteri manifeſtare, ad locutionem corporalem duo quaſi oſtia aperienda ſunt. Primum eſt voluntas manifeſtandi. Secundum eſt externum aliquod ſignum vel vocis, vel ſcripti, vel nutus, vel ſimilium, quo exprimitur exteriùs conceptus mentis. Alterutro horum clauſo nunquam manifeſtatur conceptus vllius hominis. At in Angelis vbi nullum corporis obſtaculum eſt quod impediat conceptum quem vult, alteri manifeſtari, in illis (inquam) nullum aliud oſtium reſerandum eſt niſi ſola voluntas manife-

nifestandi alteri. Quæcunq; ergò vult angelus alteri angelo manifestari, ea patefiunt velut in speculo quoties voluntas manifestandi adest. Quæ omnia partim ex *Aquinate p.1.q.107.* sed clarius ex *Hier. Zanch part.1 lib.3. de operib. Dei cap. 19.* colligi possunt. Quod autem nonnulli angelos hebraicè loqui existiment, mira est insicitia & audacia talia velle definire. Quorsum idiomate vllo vtantur cũ vocibus vti non sit necesse, sed sine voce aut vllo externo signo conceptus suos (ex sola voluntate) in ipsorum intellectu latentes, velut in speculo intuendos proponunt?

6ª. *Omnis solusq; spiritus est substantia completa expers magnitudinis.* Patet ex definitione, quia est incorporeus; si autem magnitudinem vllam aut extensionem haberet sibi inhærentem, esset corpus: atq; ex hoc sequitur quòd sit immortalis, & incorruptibilis, quia corrumpens qualitas in nullo nisi in corpore, nec in eis quidem omnibus est, aut esse potest.

7ª. *Omnis solusq; spiritus est substantia indivisibilis in partes quantitativas.* Sequitur ex 6ª, nam quia est expers magnitudinis, ideò partes quantitativas nullas habere potest.

8ª. *Omnis solusq; spiritus est substantia talis vt vbicunq; sit, tota sit, ideòq; vt totus est in toto, ita totus est in qualibet parte totius in quo est, vel vt locatum, vel vt forma informans.* Sequitur ex 7ª. Nam quia spiritus nullam partem habet quantitativam, ideò necesse est vt in quacunq; parte sit vllius loci aut corporis, ibi totus sit.

9ª. *Omnis solusq; spiritus est ita locabilis, vt definitivè tantummodò possit esse in loco, non autem circumscriptivè.* Sequitur ex 6ª. nam nihil circumscribi potest,

teſt niſi quod eſt quantum, cum circumſcribi ſit habere ſuperficiem ambientem æqualem ambitæ. Dixi verò non poſſe aliter quàm definitivè eſſe in loco; quia omnia corpora etiam definitivè ſunt in loco, ſed non ſunt tantum definitivè, aut ſi aliquod (vt ſummum cœlum) non circumſcribitur, poteſt tamen circumſcribi, ſi corpus ſuperius daretur. at ſpiritus etſi includatur mille corporibus circumſcribi non poteſt, cum non ſit quantus.

10ª. *Etſi quilibet ſpiritus definiatur vno loco, tamen nihil impedit, quin plures ſpiritus in eodem loco ſint definitivè.* nam corpora nè ſimul ſint impedit magnitudo quæ locum quem occupat, implet. Cum ergò ſpiritus vacent magnitudine, quid ipſos impedire poteſt? Et legionem Dæmonum fuiſſe in vno homine notum eſt.

11ª. *Omnis ſoluſq; ſpiritus eſt mobilis & quieſcibilis in loco definitivo tantum, non etiam circumſcriptivo.* Sequitur ex 9ª. Certum enim eſt ſpiritus moveri à loco ad locum, & quandoq; ceſſare à motu. Non poſſunt autem aliter moveri aut quieſcere in loco quam ſunt in loco, ſunt autem tantum definitivè; ergò & ſic tantum moventur & quieſcunt.

12ª. *Spiritus omnis vti movetur à loco ad locum, ita in tempore continuo movetur, neq; in inſtanti,* vt ſenſit *Valeſ. lib de ſac. Phil. cap. 41. neq; in tempore diſcreto, vt finxit Aquin. p. 1. q. 53. art. 3. nec enim tempus vllum diſcretum eſt, aut eſſe poteſt, neq; motus vllus locabilis inſtantaneus.* hoc ſic oſtendi poteſt: pone Angelum aliquem moveri *Londino Romam.* certum eſt quòd debeat pertranſire media loca vt perveniat ad extrema, quodq; non omninò movetur niſi quamdiu, & in quantum eſt in medio. Nam quamdiu eſt in termino à quo, quieſcit, necdum movetur, &

quam-

quamprimum est in termino ad quem, quiescit à motu, & jam motus est. Quare aut movetur per media loca inter terminos à quo, & ad quem, aut non omninò movetur. Intermedia autem loca quamplurima sunt inter *Londinum* & *Romam*. Quare si in instanti movetur ab vno extremo in aliud, necessariò consequitur, vt in illo vno eodem instanti sit simul in quamplurimis locis. at hoc repugnat naturæ substantiæ omnis completæ, vt ca. 7. declaravimus, talis enim omnis est definitivè in loco. repugnat etiam naturæ spiritus qui non solum est definitivè, sed tantummodò definitivè in loco, at quod definitur loco, ita est in hoc, vt simul in nullo alio loco sit.

Atq; hæc de spiritu in genere, quæ est octava pars Metaphysicæ, quam veritissimam esse, & propriè dictam scientiam nè dubites, quia & subjectū hic est reale & vnivocum, & illius subjecti sunt veræ & propriæ affectiones (cum sit species) quę per illius vera principia de subjecto demonstrari possunt.

CAP. IX.
De Angelis.

SEquuntur species spiritus, quæ sunt duæ, *Angelus & anima rationalis.* quas esse diversas, rectè ponit *Aquin. p. 1. q. 75. art. 7.* vtrumq; autem spiritum esse tum ipse fatetur, tum ratio evincit. Sunt enim ambæ completæ substantiæ, neutrum verò corpus, quæ sub spiritu comprehendi certum est. primò autem de Angelis agendum est.

Angelus est spiritus ita sejunctus à corpore, vt ei non possit vniri, sic vt cum corpore aliud tertium compositum consti-

conſtituat. Vocantur autem Angeli à Philoſophis Ethnicis aliquandò dij, aliquandò dæmones, aliquandò Genij, aliquandò lares, & penates, aliquandò Intelligentiæ.

Ex eo autem quod Angelus definiatur, & *ſit eſſentialiter ſpiritus*, liquet eos omnes errare, qui Angelos corporeos eſſe, aut habere ſua propria corpora opinentur. Fuit hæc opinio Platonicorum omnium, qui non ſolùm eos corpora, ſed etiam animalia eſſe putabant. Nam vt *Aug.* docet *lib. 8. de Civit. Dei. cap.* 14. *&* 18. animalium tria genera eſſe dicebant, Deos, homines, & dæmones, quos & locis & naturis diſtinxerunt. *Dijs* vt præſtantiſſimis cœlum, & ætherea corpora, ideòq; perturbationũ vacua tribuebant. *Hominibus* vt infimis terram & terrena corpora, ideòq; mortalia, ac perturbationibus agitata, dabant. *Dæmonibus* vt inter vtroſq; medijs, (nam hos eſſe internuncios & mediatores inter Deos, homineſq; cenſebant, qui ad Deos perferrent preces hominum, & à Dijs ad homines impetrata referrent) aëra & aëria corpora aſſignabant, talia nempè quæ conditiones extremi vtriuſq; ex parte referrent. nam cum Dijs dixerunt eos habere immortalitatem communem, cum hominibus, animi perturbationes, gaudium, doloré, iram, & ſimilia. Ex hac ſecta, inq; hac ſententia fuerunt *Plotinus*, *Iamblicus*, *Porphyrius*, *Apulcius*, qui juxta mentem omnium dæmones definivit (teſte *Aug. lib. cit. cap.* 16.) eſſe animalia, animo paſſiva, id eſt, perturbationibus obnoxia, mente rationalia, corpore aëria, tempore æterna. Eundem errorem ſequutus eſt *Tertullianus*, qui *lib. adverſus Prax. cap.* 7. tam Angelos quàm animas corporeas eſſe docet. & *lib. de anima cap.* 7. non tantum corporalitatem

eis

eis tribuit, ſed & ſingula humani corporis membra, linguam, aures, oculos, etiam & colorem. In eâdem hæreſi fuit *Concil. Nicen. 2um.* nam vt Angelorum imagines, imaginumq; cultum tuerentur, corporeos eſſe docuerunt. In eo citantur verba *Ioh. Theſſalonicenſis* diſputantis contra Gentiles *Act. 5.* De Angelis (inquit) Archangelis, quibus & noſtras animas adjungo ipſa Catholica Eccleſia ſic ſenſit, eſſe quidem intelligibiles, ſed non omninò corporis expertes & inviſibiles, vt vos (Gentiles) dicitis, verum tenui corpore præditos, & aërio ſivè igneo. Quare & in loco exiſtunt, & circumferentiam habent. Solum modò autem Deus incorporeus eſt. *Hæc ille.* Cujus verba approbata eſſe à Concilio, teſtatur & agnoſcit *Sixtus Senenſis lib. 5. Biblioth. anno: 8. & Caranza in ſua Epit.* & ipſa verba Concilij idem declarant, *act. 5. pa. 355.* Graviſſimè ſanè deliquit illud Concilium (ſi Concilium vocari debeat) tum quòd errorem iſtum approbet, tum quòd eundem Eccleſiæ Catholicæ impingat, à quo ſemper longiſſimè abfuit, vt facilè demonſtrari poſſet, in vererer in hoc Theologorum pelagus altius provehi.

Differentia Angeli eſt *quod ſit abiunctus à corpore, abiunctus* (*inquam*) *non quoad exiſtentiam, ſed quoad informationem.* Nam aſſumunt ſæpenumerò vera corpora, quibus vtuntur ad motum, ſermocinationem, & varias actiones corporeas, ſed iſta aſſumpta corpora, non ſunt corpora Angelorum, nec vna cum Angelo aliud tertium conſtituunt. Quare *Aquinas p. 1. q. 75. art. 7.* rectè ponit hoc vt eſſentiale diſcrimen inter animam rationalem & Angelum: quòd anima ex ſua naturâ ſit vnibilis corpori, vt forma Phyſica verè informans materiam, & cum

ea

eã constituens aliud Physicum compositum, Angelus nunquam sic vniatur, nec sit vnibilis, vt forma informans corporis, sed solùm vt forma assistens, sicut est nauta navi.

Angelus est infima species, nec infra se quicquam habet præter Individua. Scio *Thomam p.1.q.50.art 3.* nõ modò multa genera, sed tot etiã species angelorũ ponere, quot sunt numero Angeli, vnumquemq; enim ab alio specie, & multos etiam genere differre putat. Ego alijs scholasticis, & præcipuè *Bonavent.* in hoc assentior, qui re hinc indè ventilata tandem ita concludit *in 2. sent. dist. 9. q. 2.* Videtur magis Theologica & probabilis positio; nisi occurrat manifesta authoritas in contrarium quòd omnes Angeli sint ejusdem speciei, sicut & omnes homines. Præterea *Aquin. ipse par. 1. q. 50. art. 4.* ait Angelos omnes convenire in eãdem naturã intellectivã, differre autem solùm secundùm gradus illius naturæ. at vbi non est distinctio per naturam & essentiam ibi non potest esse specifica differentia. Deindè distinctio per gradus, non facit species diversas in Angelis magis quàm in hominibus; nam certum est animas omnes rationales, vti etiam Angelos, diversos gradus sortiri in istã intellectivã naturã. aut ergò homines omnes specie different, aut Angeli non aliter quàm numero.

Quod si dicas Dæmones ab Angelis bonis specie differre & inter ipsos Angelos bonos esse novem ordines, qui omnes specie differunt; *Dub.*

Respondeo Angelos bonos & beatos, non aliter à dæmonibus, seu ab Angelis malis & miseris differre, quàm homines bonos à malis, & beatos à miseris. vtriq; accidentibus non essentiã. Quòd verò ad ordines Angelorum spectat, dico Angelos propter ordines ipsorum non magis differre quàm *Sol.*

Reges, duces, comites, equites, & plebei inter se distant. Putemus cum scholasticis esse in illa Hierarchia tres gradus, & in singulis gradibus tres ordines, sicut *Seraphin, Cherubin, & Throni* sint in summo; *Dominationes, principatus, & potestates* in medio: *virtutes, Archangeli & Angeli* in infimo gradu collocentur. Quid hoc ad essentialem aut specificam differentiam magis quam potestas & dignitas Regis aut Ducis aut plebei? sed omninò omnia hæc spissa caligine obvoluta sunt, vt mihi cum *Aug. in Ench. cap.* 58. de hâc totâ Hierarchiâ profitendum sit, quid inter se, quantumq; distent hæ sedes &c. dicant qui possunt, si tamen quod dicunt probare possunt, ego me ignorare fateor.

Proprietates Angelorum partim obscuræ & ignotæ sunt, partim ex communibus spirituum affectionibus petendæ. Earum loco deo ipsorum adjuncta notabo. scientiam & potentiam.

1ª. *Angeli inter omnes creaturas maximâ scientiâ præditi sunt.* Hæc verò partim ex ipsorum naturâ & acumine intelligendi, partim ex maximâ diuturnâ & diligenti experientiâ atq; observatione colligitur.

2ª. *Quanta quanta sit ipsorum cognitio, duo sunt quæ ex se sine revelatione scire non possunt, cogitationes aliorũ, Nam Deus solus est καρδιογνώστης: & futura contingentia.* Nam id etiam Dei solius proprium est. Quare ipse *Isa.* 41. ita de Dijs gentium ait, - *prædicant quæ futura sunt, vt sciamus eos esse Deos.* Multa quidem conjectare possunt & solent, quæ ex circumstantijs & signis solertissimè colligunt: certò autem scire futura non possunt: vide *Aug. lib. 9 de Civit. Dei cap.* 22.

3ª. *Angeli ex omnibus creaturis potentiâ maximâ præditi sunt.* In aëre dominantur, nimbos, tempestates,

ſtates, pluvias, excitant, cient maria & aquas. Quælibet animantia (verba ſunt *Aug.li* 13. *de Civitat. Dei cap.* 18.) rapiunt vnde libet, conſtituuntq; vbi libet. Etiam in ipſos ſenſus & animam incredibilẽ potentiam habent: ſenſus immutant, humores & ſpiritus ita turbant, vt neq; ſenſus, neq; mens ſua officio præſtare poſſint.

4ª. *Angeli nulli (quantacunq; potentiâ polleant) miraculum vllum verum edere aut efficere poſſunt.* Nam miraculum eſt illud quod vi nullius naturalis cauſæ ac agentis, nec vllis viribus naturæ producitur, ſed ſuperat omnem naturæ ac creaturæ vim & ordinem, vt rectè docet *Aquin. p. q.* 110. *art.* 4. *& q.* 105. *art.* 7. Quæcunq; autem vel boni Angeli ex ſe, vel dæmones faciunt, ea ex naturalibus cauſis proveniunt, fiuntq; vi naturalium agentium, nec ſuperant ordinem naturæ, etſi nos ſæpè eum ordinem non capiamus. De Deo enim dicitur. *Mirabilia tu facis ſolus.*

5ª. *Angeli nec formare res poſſunt de novo, nec primùm conditas, in alias ſpecies transformare.* Sequitur ex 4ª. Nam vt ad creationem de novo, ita ad productionem rei ex indiſpoſita materia requiritur infinita potentia. Scio innumeras transformationes ab hiſtoricis commemorari. *Diomedis Soci* in aves, *Vlyſſis* in porcos mutari feruntur: de quibus *Aug. lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 16. *&* 17. *Arcades* tranſitu ſtagni in lupos vertuntur, quædam veneficæ, hoſpites in equos & aſinos transformârunt: teſte *Wier. de præſt. Dæm. lib.* 3. *cap.* 16. & has quidem ſimileſq; Metamorphoſes veras & reales fuiſſe contendit *Bodinus in ſua Dæmon.* Sed hæc facere ſuperat vires Dæmonum; quare Dæmones in his vel vmbras ſolùm, & ſimulachra corporum oculis obijciebant: vel phantaſias alterabant, ſic vt viderentur

tur sibi, alijsq; equi lupi, aut asini esse, qui verè homines erant, & substituebant vera corpora in loca eorum quæ transformari videbantur. Quorum omnium varia, & non injucunda exempla proponerem, nisi brevitati studerem. De omnibus autē illud *Plinij* meritò dicendum est *lib. 8. cap. 22.* homines inquit in lupos verti, rursumq; restitui falsum esse confidenter existimare debemus; & quia nonnulli Græcorum verum esse credebant, exclamat ibidem *Plinius*: Mirum est quò procedat Græca credulitas, nullum tam impudens mendacium est vt teste careat. Ad vnum genus harum deceptionum referenda sunt ista omnia quæ de *Simone Mago* narrat *Anast. Nic. lib. quæst. in Script. quæst. 23.* statuas faciebat ambulare, in igne volutabatur, nec lædebatur, in aëre volabat, ex lapidibus panes faciebat, serpens fiebat, aut alia bestia, duas habebat facies, vincla ferrea solvebat, fores clausas aperiebat, in convivijs exhibebat gratissima spectra. Nam patinas, pocula, & vasa, vt sua sponte se moverent ad ministerium, efficiebat. Verissimè simul & gravissimè damnantur omnes qui in his aut similibus veras & reales transformationes fieri opinantur, ab antiquo *Concilio Ancyrano*, circa an. Dom. 308 celebrato, cujus verba citantur *caus. 23. q. 5. cap. Episcopi.* vbi post varias Dæmonum illusiones recitatas, ita concludunt illius Concilij patres. *Quisquis ergò credit posse fieri aliquam creaturam aut in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem aut similitudinem, nisi à creatore qui omnia fecit, proculdubio infidelis est, & Pagano deterior.*

6ª. *Angeli nec boni nec mali homines procreare possunt.* Fuit inter Ethnicos recepta opinio, multos à Dijs procreatos esse. hinc *Dido* apud Poëtam,

Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.

Et *Julianus Apostata* apud *Cyrill. lib. 9.* in initio, illos

qui

qui à *Moſe* Angeli & filij Dei vocantur *Gen. 6.* non alios fuiſſe aſſeverat quàm ipſos Deos Gentium, à quibus Gigantes nati. Quin & ex antiquis patribus non pauci ſenſerunt Angelos ipſos bonos mulierum formâ ac amore captos, ex eiſdem liberos procreaſſe. *Juſt. Martyr orat. ad gent.* ait Angelos ordinationem ſuam tranſgreſſos mulierum amoribus victos. *Tertull. lib. de habit. mulieb. cap. 2.* angelos ad Virgines exarſiſſe, & ob earum concupiſcentiam de cœlo excidiſſe putat. Etiam in *lib. de Veland. Virgin. cap 7.* addit Apoſtolum ideò præcepiſſe vt mulieres in Eccleſiâ velentur propter Angelos, ne ipſarum forma, illecebra illis ſit ad libidinem. *Lactant lib. 2. divin. Inſtit. cap. 15.* ait Angelos ad tutelam hominum miſſos, ſed mulierum congreſſibus inquinatos, atq; ita ex Angelis Dei, Diaboli ſatellites factos eſſe. *Amb. l. de Noe & Arca. c. 4.* ait gigãtes quorũ meminit *Moſes Gen. 6.* ex angelis & mulieribꝰ generatos eſſe. Deniq; *Sulp. Sev. in hiſt. Sac.* aſſerit angelos, quibus cœlum ſedes erat ſpecioſarũ virginũ formâ captos, matrimonijs ſeſe mortalibꝰ miſcuiſſe. Errorẽ hunc de Angelis bonis meritò refellit *Cyrill. l. 9. contra Iulian. Aug. l. 15. de Civ. Dei c. 13. & Chryſ. Hom. 22. in Gen.* vbi dementiã vocat ita putare. Quantâ (inquit) dementiâ plenũ fuerit dicere, angelos dejectos vt cum mulieribus rem habeant? Manavit error iſte ex vitioſâ interpretatione verborum *Moſis Gen. 6.* nam pro eo quòd ibi dicitur (*Viderunt filii Dei filias hominũ, & ingreſſi ſunt ad eas*) in multis 70. Inter pretum codicibus olim legebatur (vti ex *Aug.* & *Ambr.* liquet) *Videntes Angeli filias hominum.* Eos verò non Angelos vt illi putabant, ſed verè homines fuiſſe declarant ipſa verba *Moſis*, & demonſtrant tum *Cyrill.* tum *Aug.* locis citatis.

De ſpiritibus verò immundis, qui vulgò Incubi

ac Succubi nominantur, quòd ipsi hoc præstent, homineſq; generent tam eſt inter omnes recepta opinio, vt nisi præfatâ veniâ, non videatur ei contradicendum. Certè illa *Fran. Georgii. To 1. probl. 54. & 74. & To. 6 probl. 330.* tam futilis eſt & inepta sententia, vt refutatione omninò indigna sit. Asserit ille, Dæmones non modò corporeos esse, sed vim etiam generandi habere, & semen emittere, exq; ipsis non solum procreari Gigantes illos de quibus *Gen. 6.* sed etiam semen illud Serpentis, quod inimicum fore semini mulieris prædixit Deus, *Gen. 3. Vah!* Quã improbè & inepte ista omnia? Sed neque illa de Dæmonibus Incubis opinio verior; etsi patronos habet non contemnendi nominis. Tenuit hanc *Aquin. p. 1. q. 51. art. 3.* Eandem & pertinaciter tuetur *Fr. Valeſ. in lib. de Sacr. philoſ. cap. 8.* Complures etiam alij idem senserunt. Vnde *Bell. lib. 3. de pont. Rom. cap. 12.* negat esse errorem (quitamen error fœdissimus est, & multarum hæresum fons) Si quis dicat Antichristum ex diabolo & muliere isto modo nasciturum. Cæterum & hoc etiã de Incubis vanum esse ac impossibile multis & solidis rationibus confirmat *Wier. l. 3. de præstig. Dæm. cap. 26. 27. & seq.* & demonstrat illa *B. Virginis* responsio, *Luc. 1. Quomodo fiet istud mihi, quandoquidè virum non cognovi?* Et *Philast.* istam opinionem inter hæreses recenset, *lib. de hæres. cap. 59.* dicens eos qui ita sentiunt violenter torquere historiam sacram, ac poetarum mendacia asserere. Quod (inquit) si factum est aliquando, & nunc fieri non erit ambiguum: quod autem non factum est aliquando, nec fieri manifestum est. Eccè neq; vnquam factum esse, neq; nunc fieri, vt ex Incubis istis homines generentur testatur *Episcopus Brixiensis*. Quò etiam

spectat

ſpectat decretum illud *Concilii Ancyrani* nuper citatum, vbi ſtultitia ſimul & impietas eorum damnatur qui ſeſe credunt noctu cum Diana & Herodiade & innumera multitudine equitare, ac in longinqua loca abduci. Quorſum nisi (vt *Wier.* rectè colligit) vt voluptatibus indulgeant, & Diabolo ſervitia præſtent. Scio *Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei c.* 23. hæſitare in hac cauſâ. Et quia famæ plus æquo tribuit, *Sylvanos* ac *Faunos*, qui Incubi vocantur, improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, & *Dæmones* quos *Duſios Galli* vocant, hanc immunditiem exercere non audet inficiari, imò hæc addit, non hic audeò aliquid temerè definire, vtrum aliqui Spiritus elemento aereo corporati ſint. Eccè vt rumores de Incubis tueatur, Spiritus naturam & eſſentiam eis ineſſe propè inficiatur. Senſit nimirum vir doctiſſimus, niſi *Dæmones* corporei ſint, non poſſe eos hæc (quæ de Incubis celebri famâ acceperat) præſtare. Quare cum certum ſit *Dæmones* corporeos non eſſe, etiam vt hæc præſtent impoſſibile eſt, teſte ac judice *Auguſtino*. Sed profectò famæ, vel veriùs fabulis, ille nimium attribuit; quæ quàm fallaces ſint, ac nulla fide dignæ in hac cauſa, demonſtrant innumeræ fraudes & flagitia ſub hac *Deorum* ac *Dæmonum* larvâ occultata. Cape illuſtre exemplum ex *Ioſepho lib. 18. Antiq. Iudaic. c. 4.* Erat *Romæ Tyberio* imperante, *Paulina* vxor *Saturnini* mulier & caſtitate ſimul, ac probitate morum, & generis nobilitate, & formæ venuſtate inſignis. Deperit hanc *Decius Mundus*, nec ducentis drachmarum millibus expugnare illius pudicitiam valuit. Inventus tandem dolus eſt, arte *Idenis* libertæ, & ope ſacrificorum, vt quia *Paulina Iſidis* cultui vehementer addicta erat, innoteſceret ei, *Deum Anubidem*

bidem ipsius formâ & amore captum esse: jubereq; vt noctu in templum ad se veniret. Factū est, idq; conscio simul & consentiente marito. *Decius* prętextu *Anubidis* voto potitur. Flagitium non diu latuit, res ad *Tiberium* defertur. *Idem* inventrix scelerii, & sacerdotes *Isidis* quos illa corruperat, in crucem omnes acti. *Decius* ipse in exilium ejectus, tęplum *Isidis* dirutum, & ejus statua in *Tyberim* projecta. Similem fraudem in ortu *Romuli parentis Romanorum* fuisse non dubites. *Vestalis virgo* gravida est. Vnde? *Regina Sacerdos*

Marte gravis geminam partu dedit Ilia prolem,

cum verè adulter *Amulius* (teste *Plutarcho*) illis parens. Scilicet in ipso parente specimen datum est futuram illam vrbem scortationum matrem, & à lupâ nutritos, sanguine inebriandos. Visnè aliud exemplum? Habe ex *Ruff. lib. 2. c. 25. Alexandriæ* sub *Dei Saturni* nomine, inq; ipsius templo per *Tyrannum Saturni Sacerdotem* plurima ac fædissima facinora perpetrata sunt, donec tandem re-cognitâ cæcisq; fraudibus revelatis pudor ac dedecus omnes *Paganorum* domos pervasit, adulteris matribus, incestis patribus, liberis Spurijs deprehensis. Neq; dubium est quin idem in *Merlino* nostrate, *Abunis* (à quibus *Faunorum* ac *Dæmonum* opera *Hunni* procreati feruntur) aliisq; istius generis ostendi posset si in istis vel *Tyberios inquisitores*, vel *Iosephos Scriptores* habuissemus. Sed nimirum posterioribus hisce sæculis in quibus Incubi illi passim obambulabant & improbitates suas quotidiè exercebant, vt hæc omnia æternâ nocte ac spississimis tenebris obvolverentur sedulò cautum est. Qui verò morum spurcitiem, & inexplicabiles fraterculorum fraudes ac flagitia observat, facilè intelliget non sine justissimâ causâ clarissimum sui temporis poëtam

Chaucer

Chaucerum, in *Matronæ Bathon:* fabulâ cecinisse

Incubus haud alius nunc, nisi Sacrificus.

Quòd verò Lutherum ex Incubo ortum, ejusque matrem ex Diaboli coitu concepisse scribit *Fontanus in sua Gallica historia*, & in celebri concione promulgaverit *Episcopus Pontificius an*, 1565. vt testatur *Wierus l.* 3. *c.* 23. tam ineptum est ac futile mendacium, vt neq; *Laur. Surius*, neq; *Cocleus* jurati *Lutheri* hostes, quiq; in mendacijs cõfarcinandis plus opinor quàm ipse *Stygius Pluto* audent, ne isti inquam hoc vel vt famâ acceptum referre ausi sint; sed contrarium planè clarissimè demonstrent. Sed profectò ita est, cum veritate destituantur, ineptijs atq; impudentissimis mendacijs suam causam & *corruentis Babylonis* macerias fulciendam videbant. Sisto hic. Et cõcludo Angelos neq; bonos neq; malos, quãtâcũq; potẽtiâ polleant, homines procreare posse.

7ª. *Etsi magna sit angelorum non solùm bonorum, sed & Dæmonum potentia, non possunt tamen Dæmones (ne in iis quidem quæ eorum potentiæ subiecta sunt) quicquam perficere nisi permittente omnipotente Deo.* Nam potentiâ & imperio Dei quasi catenâ quâdam ferreâ constringuntur ne vel quandocunq;, vel quibuscunq;; vel quantum ipsi desiderant, noceant. Ne porcos quidem ipsos ingredi, nisi ipso annuente, & ab ipso veniâ impetratâ valent. Hoc nisi faciat Deus, tanta est Dæmonum malitia, vt singulis horis, maria ac terras, cœlum profundum, & pecora atq; homines vertant verrantq; per auras. Permittit autem Deus pro suâ infinitâ sapientiâ ac bonitate vt multa faciant occultis sæpè, sed semper justissimis de causis.

Atq; hæc de Angelis, id est 9ª parte Metaphysicæ. Cujus subjectum cum verè species sit, veraseq; affectiones ex suâ naturâ fluentes habeat, non dubium

bium est quin de ea vera ac propriè dicta scientia sit, eaq; pars Metaphysicæ in quâ hoc est subjectum verè scientia dicenda est.

CAP. X.
De Anima Rationali.

SEquitur altera species spiritus quæ est anima rationalis. *Anima rationalis est spiritus seu incorporea substantia ita sociabilis corpori vt forma verè materiam informans & compositum essentialiter constituens.* Si substantia incorporea sit, errant igitur omnes qui animam vel nihil omninò esse, vt *Dicæarchus*; vel numerum, vt *Xenocrates*: vel harmoniam vt *Aristoxenus* musicus: vel ignem, vel aërem, vel sanguinem, vel vllum aliud corpus putabant. Quorum opiniones recenset *Cicero. l. 1. Tusc. quæst. Et Arist.* ipse *lib. 1. de Anim.* in falsis id genùs de anima in genere sententijs refutandis, egregiam quoq; nauavit operam.

Proprietates Animæ genuinas tradere difficile est. Nos earum loco quasdam affectiones cognitu necessarias de animâ proponemus.

1ª. *Anima sic est sociabilis ex naturâ suâ corpori vt non nisi egrè ac inuitè inde seiungatur, eiq; vniri perpetuò amat desideratq;, nec sine vnione cum corpore tranquillè aut beatè agat.* Sequitur ex definitione animæ quæ est forma apta nata informare corpus.

2ª. *Anima quamprimum existit vnitur corpori.* Nam verissimè dicitur: *Fusunditur creando, & creatur infundendo.* Errat ergò *Plato* qui ab initio animas omnes conditas, & vel in cœlis, vel in astris, vel alijs nescio quibus receptaculis seruari putabat. Somnium. vt & illud alterum, quod animæ cum prius omnium rerum cognitione præditæ essent antequam di-

dilaberentur in corpora, subitò novi istius hospitij aut ergastuli ingressu ita attonitæ essent, vt omnium rerum, velut epoto lætheo aliquo poculo obliviscerentur, quas cum postea discerent, tũ recordari eas putabat *Plato*. Vana hæc omnia. Non extitit anima antequam informabat corpus: *Nam format Deus Spiritum hominis in ipso. Zach.* 12.

3ª. *Anima non producitur in corpore nisi cum præparatum sit & formatum, tum animâ vegetativâ, tum sensitiuâ* Docet hoc apertè *Arist. l. 2. de Gen. anim. c.* 3. vbi sensitivam animã tempore procedente recipi post vegetantem, & rationalem post sensitivã testatur. Nec enim simul fit homo & animal. Quare miraculum planè fuit, & supra omnem naturæ vim atq; ordinem, vt Iesus Ch. primo instanti suæ conceptionis esset perfectus homo corpore non solum integrè tum formato, sed & animâ rationali prædito.

4ª. *Anima nec educitur è potentiâ materiæ, nec à parentibus traducitur, sed immediatè à Deo illo ipso instanti quo infunditur, creatur.* Non educi è potentiâ materiæ hinc probatur, quia tum penderet à materiâ tam quoad esse, quàm quoad operari: at potest tã esse quam operari sine materiâ. Non traducitur à parentibus: nec enim à corporibus ipsorum nec ab animis. A corporibus quod traducitur corpus est, anima verò non est corpus. Ab animis si traducatur, vel ergò tota anima parentis traducitur, & tũ parens non erit homo: vel pars animæ: at pars animæ nulla est, cum sit indivisibilis. Si dicas animã produci in corpore vi caloris agentis, vt instrumẽtum animæ rationalis: nego calorem esse omninò instrumentum animæ rationalis, sed solũ vegetantis aut sensitivæ. Rectissimè *Cic. l. 1. Tusc. qu.* Animorum in terris nulla origo inveniri potest. His enim in naturis nihil inest quod vim memoriæ, mentis,

cog-

cogitationis habeat. Hæc divina sunt, nec inveniuntur vnquam ad hominem venire posse nisi à Deo. Et. *Arist. l. 2 de Gen. anim. c. 3.* mens sola extrinsecus accedit, eaq; sola divina est.

5ª. *Anima rationalis immortalis est, nec corrumpitur aut interit ad interitū hominis.* Liquet hoc ex 5ª proprietate spiritus Quia omnis spiritus caret qualitatibus corrumpentibus. Deindè appetitus qui naturâ cuiquâ inest nō est frustrà. Deus enim naturę author nihil frustrà tribuit, ideòq; naturalem appetitum nulli frustrà indit, at naturaliter omnes appetunt esse perpetuò. Appetunt enim bonum, & malum declinant, at esse, bonum est. Non esse, malum. Quod si animæ extinguerentur cum corpore, appetitus iste naturalis esset rei impossibilis, ideòq; frustraneus. Consentit huic *Arist. quil. 2. de Anim.* ait, videtur hoc animę genus (de intellectivâ agit) esse diversum, idq; solum, vt perpetuum sejūgi separatiq; potest. Et idem docet *l. 12. Met. cap. 3.* Quare *Dicearchi & Epicuri* opinio quòd animæ hominum sicut brutorum mortales sint, & cum corpore intereant, porro digna fuit, non Philosopho. Quos abundè refellit *Cic. l. 1. Tusc. quæst.*

6ª. *Anima separata à corpore non solùm vivit, sed intelligit*; Nam vivere & intelligere ipsi ex communi naturâ spiritus convenit. Quomodo autem intelligit? Certè nec vt in corpore per conversionem ad phantasmata sensitiva, quia tum ea non habet; nec vt angeli per species connatas, nam anima cū producitur vacua est omnibus speciebus vt abrasa tabula: nec per species ante receptas, & in memoriâ servatas, nam tum animæ infantūm morientiū nihil omninò intelligerent: sed intelligit (vt angeli cum res de novo cognoscunt) per conversionem sui ad objecta intelligibilia sibi oblata. Hinc *Aquin.*

p.1.q.89.ar.8. Rectissimè colligit, animas separatas, quia omninò segregatæ sunt à conversatione viventiũ, ea quæ apud nos aguntur, ignorare nisi revelẽtur. Quis autem particulares nostras actiones & voces illis revelari certò confirmèt? Certò inquam, non conjecturis fallacibus.

7ª. *Anima separata à corpore potest nullum corpus motu locali mouere:* probat hoc *Aqui p.1.q.117.art.4.* tum ex *Arist.* ex quo citat illud, quòd anima non potest quodcunq; corpus mouere, sed solum modò proprium quod informat, tum autem nullum informat, nullum igitur movere potest: tum ratione, Nam anima nullum corpus mouet nisi vivificatum, quod liquidò patet ex eo quia si membrũ vllum corporis emortuum sit, puta brachium, aut manus, aut tibia, illud licet reliquo corpore continuetur, anima non potest mouere, sed movetur solùm per continuitatem ad alia membra, quæ ab animâ mouentur, anima autem separata non animat aut vivificat vllum corpus. Nullum igitur separata movere potest. Quare quæ de Animarum apparitionibus multa & miranda agentium in legendis occurrunt, ea omnia vel pro *fabulis*, vel *Dæmonum illusionibus* habenda sunt.

8ª *Anima separata non regreditur vnquam ad vllum aliud corpus informandum.* Stultissima fuit *Pythagoreorum* opinio, qui cum immortalitatem animarum negare non possent, nec otiosam vitam agere merito putabant, nec quid agerent invenirent, existimârunt eas ab vno corpore in aliud, & post illud in tertium transmigrare, modò in equum, modò in leonem, aut canem, aut hominem. Hinc ipse de se apud *Ovid lib.15. Metam.*

Ipse ego (nam memini,) Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram.

Hinc illud *Persii* Sat.6.

Cor iubet hoc Enni, postquàm destertuit esse

Meonides Quintus, Pauone ex Pythagoreo.

Scilicet animam eandē ex *Pauone* in *Euphorbum*, ex hoc in *Homerum*, tum in *Pythagoram*, quinto loco in *Ennium* transmigrasse jocatur. Quam quidem μετεμψύχωσιν nostrâ ætate *Postellus* quidam Iesuitici ordinis amplexus, Animam *Iohannis Baptistæ* in matrem *Iohannam* (dignam scilicet comitē) quam nō sine maximâ blasphemiâ fœminei sexus redemptricem prędicabat, transmigrasse asseruit. de quo vide *Ies. catech. lib. 1. cap. 10.* De hoc delirio verissimè dixit *Lactantius*, vanum esse & impossibile, *lib. 3. cap. 19.* Et est sanè. Nam si anima *Pythagoræ* aut *Pauonem* aut vllum brutum informaret, certè *Pauo*, essentialiter homo esset. Si verò *Ennium*, *Euphorbum*, aut vllum alium hominem, tum duo pluresq; essent vnus idemq; homo numero. Quęcunq; enim eandē numero formā essentialē habent, ea numero eadē esse necesse est. Error autem iste hinc natus inter Ethnicos, vt colligere licet ex *Lactantio lib. de div. præm. cap. 23.* quod illi ex *Chrysippi* verbis & *Sybillæ* carminibus didicissent homines post aliquot annorū curricula, ad pristinum statum revocandos. Hinc enim certissimè consequitur animas in corpora humana remigraturos esse, & quia illi impossibile putabant eadem numero corpora restituenda, & animis suis iterum vnienda (quòd sine dubio futurum credimus) finxerunt, animas in aliena corpora transmigrare.

19ª. *Animæ separatæ beatam vitam agunt, vel miseram.* Viderunt hoc lumine rationis ipsi Philosophi. *Arist. 1. Eth. ca. 11.* docēt mortuos ex conditione posterorum, nec ex beatis miseros fieri, nec ex miseris beatos. Ita miseros esse vel beatos supponit. Vidit hoc *Plato*, cujus verba citat *Eus. lib. 11. de præp. Evan. ca. 3.* Audi (inquit) sermonē quem egò verissimū ar-

arbitror, eum qui justè, sanctèq; vixit, postquàm mortuus est, in beatorũ insulas profectum, summâ in beatitudine vivere; qui verò injustè ac impiè eũ ad supplicia in alium locum, quem Tartarũ apellant, deduci. Et multa similia citat ex *Platone lib.* 18. *ca.* 11 *&* 20. Vidit hoc *Socrates*, qui moriturus multa de immortalitate animorum differebat, duosq; dicebat esse vias, & duplices cursus animorum è corpore exeuntium. Nam qui se humanis flagitijs inquinassent, ijs iter esse seclusum à concilio Deorũ, qui autẽ se integros, castosq; servassent, his ad illos, à quibus profecti essent, reditum facilem patere. Quę, multaq; alia in hanc sententiam legas apud *Ciceronem* 1. *lib. Tusc. quæst.*

Atq; hæc de animâ rationali dicta sint. Est autem hęc vltima omninò tractatio in Metaphysica, id est in eâ disciplinâ in quâ illa traduntur, quæ Physicã seu naturalẽ Philosophiã transcendunt & antecedunt, vel dignitate, vt Deus, & spiritus; vel cognitione, (quia eorum cognitio in Physicâ prę-supponitur) vt Ens; Ens finitum, accidens, substãtia incompleta, & substantia completa. Corporis autem tractatio (quæ est altera substantiæ completæ species, spiritui contradivisa ad Physicam pertinet. Quodq; *Timpl. in sua metap. lib.* 4. *ca.* 6. de corporibus agit, etiam de cœlo Empyreo, & nonnullis alijs, in eo longè transgreditur fines & limites hujus disciplinæ. Corporis enim & omnium specierum ipsius tractatio (quantum humano ingenio atq; industriâ de eis cognosci potest, nam cœlum Empyreum non aliter quàm ex supernâ revelatione percipitur) ad Physicã propriè spectat, & ad illam, vt suam propriã classem releganda est, & relinquenda. Quæ verò propria Metaphysicæ sunt, ea à nobis omnia jam tradita sunt, & quidẽ eâ bre-

brevitate & perſpicuitate, vt ſperemus Iuniorem non modò hęc ipſa aliquâ ex parte intellecturos, ſed per iſta longè faciliorem aditum ad omnes alias ſcientias habituros. Nam cùm hęc ſint aliarum omnium diſciplinarum fundamenta & principia, viam muniunt, & quaſi januam patefaciunt ad veberiorem aliarum omnium notitiam.

Hic jam finem huic noſtræ ad Metaphyſicam Introductioni imponemus, ſed illis verbis, quæ in omnibus noſtris ſcriptis & tractatibus cujuſcunq; genèris ſint, eruntvé, ſubintellecta volumus, quæq; ab *Auguſt. lib. 15. de Trin. ca. vlt.* mutuata libentiſſimo animo hic ſemperq; vſurpamus., *Domine Deus, quæcunq; dixi de tuo, agnoſcant & tui; Siqua de meo, & tu ignoſce, & tui.*

FINIS.